ANTIPISTORIANUM PROPUGNACULUM:

Vel,

EXCEPTIO POSTErior ad primam Theseωn Pistoriarum.

ACROAMA CATHOlicum pro tabulis divini juris,

Contra Hæreticos scripturifugas.

Auctore

CHRISTOPHORO AGRICOLA Rhæto.

FRANCOFURTI
ad Mœnum

Anno cIↃ IↃ XCII.

ILLVSTRISSIMO POTENTISSIMOQUE

PRINCIPI, D. D. LUDOVICO, Duci Wirtembergensi, & Deccensi, Comiti Montis-belgarum, Domino clementissimo salutem

IN SALUTE!

POTENTISSIME Princeps, Domine clementissime: quòd Ecclesiæ Christi sit grata mea in oppugnando Pistorio opera; fecisti tu, illustre ejusdem Ecclesiæ membrum, luculente testatum: cui probatum, quod scripsi. Demolitus sum Antichristi arcem: quod boni confitentur liquido. Arcem heîc ego erigo: quâ res nostræ queant præstari sarctæ tectæq;. Nempè ergo ut everti sanctangelicæ molis fundamentum; dum successionem

Paparum excußi: ita jam firmamentum edo nostræ fidei; quando disputo de scriptura. Res hæc quia videbatur digna sancta accuratione; negotium dedi hybernis noctibus: ut, quid ferret, excuterent. Fecerunt hæ: & obtulerunt sanè tamtum, quamtum non poterit concoquere profanus ille meus Pyrgopoleinices. Ita me IESVS sanctus: quæ inter thesauros habui; heîc expromsi: ea os occludent Lojolistis: quacunque rem urgeant ratione. Ecclesia Christi boni consule! Quodsi vitam mihi indulserit DEVS; monebo Seirium, ut conficiat Confeßionem Augustanam totam Augustinianam: ne nostri deblacterent tenebriones, ab occasu inde Apostolorum non fuisse, qui nostram fidem sint tutati. Quod restat, illustrißime Princeps, Domine clementißime, te oro: ut qua clementia Antipistorium, eadem & ejusdem propugnaculum digneris suscipere fidam tuam in fidem. Id tamtum: ut inde agmen lucifugum factionis adversæ queat & observari, & disijci: tamtum etjam, ut tutetur, quod sancta fidei nostræ Exegesei asseveratur

tur. Ita te illustrißime potentißimeque Princeps commendo D E O : *secundumq́ eumdem me tibi. Hinc à me ave: &, quod precor, fave.*

Illustriss. T. Celsit.
addictiss. P.

Christophorus Agricola, Rhætus.

CHRISTIANI
ſunt

Βομβαρδοξιφεσισχοινεγχεσιπυροδίωκτοι.
Bombardagladiofunhaſtaflammipetiti.

ANTICHRISTIANI
autem

Βομβαρδοξιφεσισχοινεγχεσιπυρδιάλεκτοι.
Bombardagladiofunhaſtaflammiloquentes.

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

QVOD tu, Piſtori mi, corpore vales; benè eſt. Tibi gratulor: mihi gaudeo. Et duplicaretur utrumque horum; ſi animo quoque valeres. Mihi eſt mens ſana in corpore ſano: quòd etjam te ſcire volo. Exſpectas haud dubiè exceptionem alteram contra primam illarum theſeωn, quas Badæ videlicet es tutatus. Quod exſpectas; heîc exhibeo. Prima diſceptatio illa de beata Archipræſulum Romanorum ſucceſſione habuit τὴν ἀνασκευήν. Vidiſti id: excuſſit enim cor ſanctangelicæ arcis præfecto. Id verum: ut tuæ religionis quidam etjam fateantur. Eſt ſubdenda ἡ κατασκευή: quæ indicet quod habeamus firmamentum in cauſa noſtra defendenda. Tantum erit: ut nec Tartarus, nec cuncti ejus folles illud ſint demolituri. Ergò acturus tecum ſum de tabulis divini juris: ex quibus noſtram litem diſceptandam eſſe, animus germanè Chriſtianus judicat. Tu, Piſtori, non judices: qui ſtatuis præter ſcripturam divinam aſſumento eſſe opus Traditionum: quas quinctus, neſcio qualis, in commodum Eccleſiæ Hetruſcæ promulgarit Euangeliſta. Veſtalis Papochriſtiana interrogata olim, qua re conſtaret religio? Reſpondit expeditè: laceris panniculis: ſimul intuens volumen Biblicum, quod è chartis, id eſt, detritis pannis nôrat conflatum. Ecce Becce: quam pia Mater! digna Abbatiſſæ honore. ſanè dixit, quod nullus illi ſuggeſſit Pater: Pater, inquam, non aliquis Veneris frater. Atqui Piſtori, hanc vincis tu profana temeritate: negas id? contendis nempè, iiſdem chartis non eſſe perſcripta fundamenta religionis: quod concedebat tua ſoror illa egregia: & clamas, Stentor irreligioſus, quidvis potius ex ſanctorum Bibliorum compage, quàm dogmatum in Eccleſia controverſorum dijudicationem eſſe exſpectandam. Sententia iſthæc in ſe blaſphema eſt: & eam credenti exitialis: nec ſtare poteſt coram tremendo Chriſti judicio, qui heic illā propugnat. Atqui, qui ſolam ſcripturam pro canone veritatis Eccleſiaſticæ agnoſcit; ſententiam fovet, quæ eam foventi eſt ſalutaris, uti in ſe eſt ſacro-

ſancta: ea enim ſola efficitur, ut vultu intrepido judicis queat ſententiam exſpectare. Tu Antagoniſta, ut aſſentiris? per conſcientiam hæc vera non vides; qui id das operæ, ut habeas nullam prorſus. Non aſſentiris? Et dubitas? quia dubitas; dubio hoc te liberabo: niſi liberavero; ſubibo pœnam, quamcunq; imperabis. Vis tu, Parentem tuum inferni tormentis aliquando adjudicandum: quî enim non velis qui cũ annumeras Lutheranis? quin Lutheraniſſimis? Tibi decernis (ſed tamen abſque ſenatus Populiq; Chriſtiani conſulto) Veritatis triumphum: quòd ipſum cum aliis ejuſdem fidei excelſo animo ſuſtineas pronuntiare alimentum inferni. Heic nos quid faciamus? Pater ſibi vindicat tuus, quæ tu adſcribis tibi: & tergo imponit tuo, quod tu ipſius mandâras humeris. Sedeat ergò pro tribunali totius mundi incorruptiſſimus Cenſor, IESUS CHRISTUS: àc te patremque tuum ad ſua attrahat ſubſellia. Alloquatur te primùm, qui ſapientior parente, dicatque hæc: dic mihi, feliciſſime infelicis Patris fili: quid tuum commovit animum, ut crederes quæ deteſtatur tuus Parens? ex quibus ſunt ea: ſcripturam eſſe ſimilem Loxicis: legitimè juſtéque me damnatum eſſe à Pilato: hominem ex puris naturalibus ſuper omnia me poſſe diligere: peccatum aliquod non eſſe peccatum: opera juſtificare: mures poſſe evadere ſanctos beneficio operis operati: ſeptem eſſe ſacramenta: panem converti in corpus meum: calicem eſſe adimendum non Clericis: ſanctos eſſe invocandos: eſſe purgatorium ignem aquamque: alia ſexcenta: & hoc, quod præcipuum: Papam eſſe caput Eccleſiæ: verum eſſe, quodcunque vel ille edixerit. Reſponde Piſtori. Hoc toti mundo exploſum recoques, ac regeres: ſinguli Majorum ita ſenſerunt. At non verum eſt, inquiet ſervator: nam & hic tuus Parens ſenſit aliter. Et qui tu hæc dicis? cum ſcire queas, prorſus ignorare hæc tua, ſæcula illa, quæ beatis meæ paſſionis temporibus fuêre propiora. Et habe: quod numquam potero dare. Quæro præterea: quis te docuit: fidem tuam eſſe ſuſpendendam à tuorum majorum placitis? à me haud habes: ſi docuiſſem; rebelles Jehudæi eſſent excuſati: qui inſtituta majorum urgebant aſſiduè & adhuc urgent præfractè. Si fidem vis circumſcribere Maiorum tuorum religione; cur non redis ad Paganiſmum? Majores tui fuerunt Ethnici: numquid ita? Hæc Chriſtus. Reſponde Piſtori. Nihil habebis: nihil reſpondebis. Tum ad parentẽ converſus tuum, ita loquatur: ſenex miſer: hoc miſerior, quòd tuus

iſte

iste Filius ex miseriore te studet efficere miserrimum: dic heic: cur hæc rejeceris omnia, & simplicissima me colueris ratione? Stabit vir sanctus intrepidus: & dicet magna fiducia: meas semper circumsonuit aures vox illa, quam ex ore Mosis emisisti: Hoc tamtùm facito, quod tibi præcipio: & repetiuisti ore proprio: Frustrà me colunt mandatis hominum. Quid facerem? testor immutabilem tuam veritatem: nihil me legisse in scriptura eorum, de quibus tàm certus meus Absolom. Quid, inquam denuò, facerem? aut omnibus his erat valedicendum: aut metuendum, ne te, justiciam ipsam, graviter offenderem. Si erravi; tu (quod absit in sempiternum!) fecisti ut errarem: an plus exiges à me quam mihi commendasti, clementissime servator? Testor heîc JESU CHRISTI tremendum solium: aut justiciæ nullum tum fore locum: at utique futurus est: aut absolvendum esse Pistorium parentem: quicquid vel dicat filius. Judicet & totus mundus: an non ferale Theta Pistorium filium maneat? non frangetur damnatrix sententia; si, quot homines hoc judicium sunt audituri; in tot Baldos Bartholósve transformarentur. Pistori mi: dubitas adhuc: scripturam fortissimè olim nobis patrocinaturam? Ne dubita. Ne dubita, inquam tibi: nam & sequentia rem hanc pluribus loquentur. Hæc exspecta: amentatæ futuræ sunt hastæ. Vincat virtus: JESU opitulere!

Ὁ ἈΓΩΝ.

CAP. I.

Quòd sine scriptura nec forma Christianismo. unde ad insequentem disceptationem παρασκευή τις.

Ad Physiolog.

ECCE (ubi Pistorius?) palæstra. Euge pugnator. Accessas. Audi ergo interim istud. Apud Beatum Epiphanium invenies ejusmodi philosophema φυσιολόγου ἄδηλον: id tale. ut à te cupiam magnopere animaduerti: τοῦ ἀνθρώπου τὸν ὄφιν ἀπολεσμένου ἰχνεύοντος, ὅλον τὸ σῶμα παραδίδωσι. τὴν κεφαλὴν μόνην φυλάσσει. cape latine: Si quando homo serpentem investigat ad internecionem; tum totum exponit corpus, solum autem custodit caput. Callide: stolidè.

Orig. l. 12. c. 4.

Astutè utique (ô virus) caves capiti; cum scias, COR TIBI IN GUTTURE. Quod observavit Ælianus: & me docuit. Deficit cerebrum: quòd de reliquo corpore nulla cura. ubi in summa prudentia summa stultitia: ut alius ait, mihi gratus.

Card. de lib. prop.

Similis pyctes, hic meus. Quid enim? arma sacræ paginæ detrectat: agit hoc καὶ πὺξ, καὶ λάξ. Haud stulte sapis tu: qui vis, ut mea deponam arma, & tamen congrediar tecum. At sanè hoc tibi à me habe: si efficies, ut Biblia ad probandum sint invalida: refeceris te, ac tuos, qui langvetis: confeceris me cum multis fortissimis Athletis. Inde

In præfat. sup. Esa.

qui credo cum doctissimo Hieronymo, ignorationem Scripturarum, esse ignorationem Christi; statuo cum bonis, pauxillum habituram virium (at Satanas hoc dicat, si velit; sempiterna sua cum pernicie) Christianorum rempub. universam, nisi sacrarum tabularum thesaurus ejus sit mensura.

Quis verò hæc legis, ne dubita, utrum tam nefaria ab ore hominis Christiani possint promanare? non sanè illi ita: Negamus scripturam, id est, nos nobismet volumus esse lex. Si ita; mentem retegerent irreligiosam suam, & demonstrarent, deteriores se esse Numenio, Pythagoreo, Ethnico: cujus illud mihi aspiciant: τί γάρ ἐστι Πλάτων, ἢ Μωσῆς Ἀττικίζων; quid enim est Plato, nisi Moses Atticè loquens? Et Porphyrio quoque essent nequiores futuri: qui licet Christum flagrantissimo odio persequebatur: tamen de Mose apertè confessus est,

Clem. Alex. Strom. I.

Adv. Christ. l. 4.

quod

quod Jehudæorum historiam verè conscripserit: quam & Sanchoniatho Berutius attigerit. Alia via volunt incedere, quam non arbitrantur tam duram: ajunt quippè, non esse nullam scripturam: sed obscuram. Quod idem, ita me Jesu! ac si eamdem tollerent prorsus. quid enim est; si obscura est? fallax est: effatum tripodis: quod semper ἐν ἀμφιλόγῳ. Enimverò proximum esse gradum ab obscuritatis querela ad falsitatis accusationem; experientia docuit, certissima magistra. Verum profectò: quò quisque illorum hominum se religiosiorem demonstrare annititur, eo scurrilius sacras litteras insectatur. nota mihi hanc notam Christianismi Italici. Dixit Andradius, ὁ αὐθάδης, cujus vel ipsam impudentiam atque impœnitentiam pudere pœnitereq; queat: & quid? trado tibi legendum. & hoc est: Neque vero, ait ore prorsus profano, in ipsis libris, quibus sacra mysteria conscripta sunt, QUIDQUAM INEST DIVINITATIS, quæ nos ad credendum, quæ in illis continentur, ALIQUA RELIGIONE CONSTRINGAT. Vix autē adduci potui, ut crederem, tam dira etjam nunc à Romano-catholicis exspui, atq; defendi; donec meus erumperet Pistorius: qui blasphemiā blasphemia cumularet: & diceret: Scriptura nisi ab Ecclesia explicetur; mensura nobis non erit: erit obscuritas, & offensio: ET MAGIS ERRORIS NOSTRI, QUAM VERITATIS MENSURA. An non caput muniunt hæ viperæ? an non subdola machina arenam declinant? Frustrà tu, Christiane mi, ex ore Christi disputabis; si Adversarius sacro huic ori oris officium præcipuum extorqueat.

In Defens. Conc. Trid. l. 3.

In Theor. cont. Gryn.

Immo verè, inquam ego, summum suæ mentis produnt stuporem; dum Biblia obscura proclamant: hoc fine, ut nostrorum effugiant ictus. Parti volunt consultum sui cadaveris uni: interim justæ omnium direptioni sese exponunt totos. Ita ago: sit S. scriptura tibi obscura: cum hoc exoptes maximè. non magis mihi incommodum hoc quam tibi. Inde autem: doce me, Papæ fili, unde dignoscam, esse te in veræ Ecclesiæ gremio: me extra eamdem fluctuare. Allegabisne mihi tuam conscientiam? ut vulgus suorum Missæ-ludionum. At non introspicio eam: nec umquam sum introspecturus. Ecquid? meam conscientiam tuæ oppono: irruptio par. Ergo res agetur utrimque: neutrubi peragetur. Nolo ita: da aliud. Nimirum es in Ecclesia: extra quam nulla umquam fuit. Nimis acutè. Et tamen olim mihi respondit hoc: qui vel digitis suū dimetiebatur acumen. Tu ve-

Turb. sacrific.

1. H.

rò si ita; amandandus es ad Fallaciarios: ut discas, quid sit τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν. Addo &: posse hoc tuum contra te usurpari; si meæ adaptetur caussæ. Propius: propius. Infantia talia. Itaque ades hoc triviali: esse te in germana Christi Ecclesia: quia tuæ religionis archipræsul succedat Petro. Cecidit Babylon: & sensisti quidem in exceptione priore. Peto hoc, quod æquum: ostende Petrum papica sapuisse; & illicò sum crediturus: Ecclesiam tuam docere Petrea. Spondeo sub juramenti religione, Et dederim, quod petis: ex te mihi datur, quod te det internecioni. Dic enim: unde habeas, Petrum fuisse Principem sacerdotum? opponetur scriptura, millies repetita, toties depravata: Petre, pasce oves meas: tum &, oravi pro te, Petre. Atqui verò ut omittam, non propterea bonos tuos, quandoquidem bonus sit Petrus: regero saltim, quo nos conaris debellare: S. Pagina, est obscura. Proba jam, si potes; claves Petri, fuisse fasces imperii Ecclesiastici. Heic oportet, ut fateare, Ecclesiam te aut non posse probare tuam, aut aliquid esse in scriptura, quod dilucidum. Hoc fatebere. Atqui si clara hoc in loco; cur non & in alio? si in his; cur non in pluribus. Nisi forsan vis dicere, solos hos locos esse ἐν φανερῷ: ubi DEUM maximæ condemnabis invidiæ, qui cum plura dare potuerit manifesta; noluerit tamen, & subibis hæreseως onus, quo numquam te liberabis; nisi contrarium hisce ostendes. Ita actum de salute tuæ religionis tota: nihil restat. Contritus es toto corpore: qui incautè, ut serpens soli cautum volebas capiti. Heic sapientia: sed Chorœbea.

Disp. Posn. T. 43.

Om. scrib. & Pharis.

Quid ergo? ais mihi: universariæ sacræ scripturæ compages est facilis? Totum otiosè. non ego decurro ad extrema virtutis: ubi habitat anima stultorum. namq;

Serm. l. 1. sat. 1.

Est inter Tanaim quiddam socerumq; Viselli:

ait Flaccus suis Næviis, & Nomentanis: ego tibi. Sacra volumina facilia ita statuo: ut credam quoque interea, nulli vel hominum adhuc contigisse: ut tantæ sapientiæ sinus enavigaret, atque, quæ ferrent; exprimeret. Nihilò secius tamen contendo, in iis repositam esse veritatis religiosæ καὶ ἱκανῶς, καὶ πάντα. Dant enim, secundum quæ facilia sunt: ut & intelligantur ea, quæ habent aliquid sublimitatis: & sic largè subministrant cuivis petenti, quæ ad vitam sempiternam consequendam scitu credituque sunt necessaria. Fallor in omnibus profectò; si fallar: Christianæ religionis normam esse, aut nullam, aut scripturã: quorũ ut hoc adoro; ita illud, quã possum maximè, exsecror.

Hac

Hac de re equidem, quæ magna, & necessaria, sum acturus: in cujus materiæ tractatione, quod consueverunt fideles omnes, opto petoque, ut tales mihi contingant lectores, qualis sum, qui scribo; sinceræ fidei videlicet amans, piæque pacis. In se quippè sunt talia hæc: ut, quoties iis ad cōvincendos Misographos sum usus; numquā frustra me usum, recorder. Omninò enim, cum ea perscribenda duxi; duxi juxta, consecranda hæc non haræ; sed aræ: non iis, qui tremunt sacrorum codicum enunciata: sed qui ad communem hominum salutem diuinitus promulgata, sanctè credunt. Ergo Pistori, aut abi, aut fac, quod decet: benè agier heic oportet: itaque bonos & requiro. Τὸ προσῆκον autem facies: si mite illud cæli numen supplici prece cōveneris: ut tamtum edoceare hoc, ꝙ purè sincereq; verum. Hoc ultimum, hoc primum: cum Origenes pronuntiet cum universa Jesu Christi militia: non solum studium nobis adhibendum esse ad discendas litteras sacras: verùm & supplicandum Domino, & diebus, & noctibus obsecrandum: ut veniat Agnus de tribu Jehuda, & ipse accipiens librum signatum, dignetur aperire. Addo etjam, quod proponi superiori meruerat: eijciendum esse ex animo, quicquid sinistri in eo. Heîc imitandus est serpens: non supra. Etenim de eo Epiphanius (ut concludat hoc caput, qui idem fuerat auspicatus) hoc modo: ὅταν ἐπὶ τὴν πηγὴν τοῦ ὕδωρ πιεῖν ἔλθῃ ὄφις, οὐ φέρει τὸν ἰὸν ἀλλάγε ἀφεὶς αὐτὸν ἐν τῇ νοσσιᾷ, οὕτω καθαρὸς προσέρχεται. Latinè autem: cum ad bibendam aquam ad fontem accedit; non secum fert virus: sed illo in spelunca relicto, purus advenit. Ita habe τὴν πρόθεσιν: τὴν ἐφάρμοσιν, si vis; ipse subnecte.

In Exhod. hom. 12.

Cap. II.

De primo sacrosanctorum effatorum genere: quod στοιχειῶδες.

NOs agemus, quod agendum. Pura illa Socratis anima ita & sapit, & ore Platonis loquitur: τούτων δὴ ἔγωγε αὐτός τε ἐραστὴς, ὦ Φαῖδρε, τῶν διαιρέσεων καὶ συναγωγῶν ἵνα οἷός τε ὦ λέγειν τε καὶ φρονεῖν: Ipse etjam, ô Phædre, ejuscemodi divisionum, & complexionum studiosus sum: ut valeam & dicere, & sapere. Et sapuit; dum & hoc dixit. Namque divisionis perspicuitas utilis, πρὸς τὸ μηδὲν παραλιπεῖν ἐν τῷ τί ἐστιν: ut nihil omittamus quod est in quidditate: ut acutus Aristoteles noster. Nos ad hæc

In Phædr.

Anal. Post. l. 2. c. 14.

contendimus: animus quippe est nobis sacrarum tabularum θείαν συμμετρίαν animo perpendere, inde sapere nostræ saluti, idemque expromere aliorum in commodum. Iccirco par, ut conemur rem distribuere: quòd quò certius capessamus; doce nos ὦ Αὐθεντία per Spiritum tibi cum Patre æterno καὶ ὁμοούσιον καὶ ὁμότιμον! Amen!

Invenio equidem, si sacra Biblia studiosiùs perlustro, quatuor locorum genera, quibus res sacræ enunciantur: iique ita sunt subordinati, ut primus secundo, secundus tertio, tertius quarto inserviat pulcré. Quia verò studium maximum, initium facere ἐκ φανερωτέρων; explicandum primum genus est, quod appellatur τὸ σαφῶς. rationem nomenclaturæ hujus exponent ea quæcunque eo de genere disputabuntur. Illud ita definio equidem, ut dicam: habere illud SCRIPTURÆ EFFATUM, CUIUS ET SIGNA, ET SIGNATA SUNT MANIFESTA. Signa appello ego verba, quibus animi conceptus promulgantur: signata, ipsas res, quæ verbis nobis proponuntur. Video & B. Augustino placuisse hanc appellationem, qui ait: signa rerum, esse verba. Nec adversatur Platonis prudentia: qui verba solet vocare τὰς εἰκόνας, ὁμοιώματα, δηλώματα, σύμβολα. Si ergo, verba signa congruè dicimus; dicemus & congrue res, signata, ut docet oppositionis lex, quę quidem exsurgit ἐκ τῶν πρός τι. Cæterum quod prostent quorumdam in sacris libris & verba, & res; infrà dicendum: differimus eò: ergo exspecta. Heic proprium, ut dicatur: eccui hoc locorum genus sit notum: necessarium enim scitu hoc. Quod quidem si quæres; responsum habebis, omnibus liquere ejus generis sacra dictata, qui spiritus S. inenarrabili beneficio sunt consequuti, ut possint uti & oratione, & ratione. Ratione quidem, ut norint inter rem & inter non rem, esse discrimen: hoc est, quidvis non esse quidvis, ut dicitur sensisse Eudemus. Oratione autem, ut percipiant ab alio prolata verba: & intelligant, quarum rerum sint tesseræ. Summa hæc esse Dei misericordis in nos beneficia: ille non agnoscit solùm, qui horum est vacuus: qualis hominum est nullus. At aliud D. Apostolus: perspicua ejus assertio hæc: ψυχικὸς ἄνθρωπος non intelligit, quæ sunt spiritus Dei. Et alibi, quamta vocis suæ contentione: Quam inscrutabilia sunt judicia Dei! & eius viæ quàm impervestigabiles! Quiesce calumnia. Nondum perveni, quò volui. Non ego ibo, in hunc: DEUS prohibe! nam nec ipse mihi contrarius: quod commonstrabunt, quæ sequẽtur. Namq; & modus addendus, quo intelligatur ejus-

In lib. de Mag.

In Cratyl.

Plato in Cratyl.

1. Cor. c. 2. v. 14.

Rom. c. 11. v. 33.

ejusmodi ſententia. Cum ſumus in rei alicujus cognitionem provecti; tum tenemus ejus vel τὸ ὅτι, vel τὸ διότι. Ariſtoteles ita: & vere. Τὸ διότι ſumus venati; ſi ſcimus, quæ ſit rei natura; ἐκ προτέρων καὶ ἀμέσων, ex primis, & immediatis, quæ, cauſſæ. *Anal. Poſt. l.1.c.10.* Hoc modo (aperta confeſſio) hoc effatorum genus ab omnibus non intelligitur. Et cauſſa: ſpecialis enim eiusmodi ſcientia: cum concedatur illis tamtummodo, quibus tamtum DEI munus eſt gratum. Tum verò: quia quibus vel concreditum, non ſemper ex ſacris iisdem litteris occurrit id, quod exponit propriam aſſertæ veritatis cauſſam. Illud efficit conſcientiæ vox, quæ clamat: Scripturam ſacrã εἶναι αὐτόπιστον: id eſt, τὴν τῶν θείων λογίων διδασκαλίαν τὸ πιστὸν ἀφ᾽ ἑαυτῆς ἔχειν, διὰ τὸ θεόπνευστον εἶναι: ſcripturæ doctrinam fidem ex ſe facere, cum ſit divinitus inſpirata. Ut ait B. Nemeſius. *De Hom. c. 2.* Hoc verò tollere poteſt aſſidua atq; attenta Bibliorũ evolutio. præclarè.n. doctiſſimus Auguſtinus, ut omnia: quærite legendo; & invenietis meditando: pulſate orando; & aperietur vobis contẽplando. *De ſcal. Parad. c. 2.* At verò τὸ ὅτι habemus tum; quando nimirũ ἐξ ὑστέρων in rem ipſam introſpicimus. τὰ ὕστερα autẽ ſunt vel τὰ αἰτιατὰ, effecta, vel τὰ τεκμήρια, indicia. Et hac intelligendi via proſtant hi loci omnibus, idioma eorũ capientibus, & afferentibus rationem homine dignam. Qui fideles; vident αἰτιατὰ, vident τεκμήρια. Τεκμήρια nempe, quia audiunt, quid dicatur: & αἰτιατὰ, quia obſervant ab omnibus ſcripturæ locis egregiè conſpirari. Infideles autem capiunt eadem ἐκ τεκμηρίων, ſeu ex ſymbolis illis, quibus pronunciata ejusmodi propalantur: norunt enim quorum ſint ſymbola: quocirca cum ſymbolis & res ſymbolis adumbratæ ipſis ingeruntur. Si vis, ut pueris etjam loquar, quæ adultiorum concredidi fidei; ita habe: omnes illi, qui linguam ſacri fœderis norunt, ex eo quædã capiunt, quę animadvertunt, talia vel talia aſſeverari: at non omnes vident, quam ob cauſſam poſſint eſſe vera, quæ aſſeverantur hoc modo. Unde exſiſtunt duo hominum genera: unum, quod videt, quæ afferuntur: illis tamen fidem haud habet: alterum, quod ut intelligit recitata, ita & eadem firmo aſſenſu comprobat. Confer jam hæc ad ſancti Apoſtoli loca; & lumen rei oborietur magnum. *1. Cor. c. 2. v. 14.* Invenies quippe Paullum dicere: quod naturalis homo non ita intelligat ſpiritalia: ut cauſſas eorum aſſequatur. Ad eas enim cum non pertingit ob ſuæ naturæ vitium; nullas eſſe exiſtimat prorſus: unde & ſtultitiæ condemnat hæc ſacra, ipſe ſupra ſtultitiam deſipiens. Jam verò ad alterum de abyſſo judiciorum divinorum: reſponſum volo, quod ſug- *Rom. c. 11. v. 33.*

D.Luth. de serv. Arb. gerit magnus nostræ terræ Apostolus : profunditatem hanc esse in ipsis rebus sacræ scripturæ, quã tam illa creatura nõ queat penetrare: interim tamen dilucida esse verba, quibus tantum de tantis delibatur mysteriis, quantum nobis ad veram fidem sit satis. Quod omninò videmus congruere cum responsione, qua primum Pauli locum illustravimus. Et ad hæc sacræ scripturæ loca respexit Apostolus; quando de modo nostræ institutionis agit, ut quando Corinthiis ita acclamat: *1. Cor. c. 3. v. 2.* lactis potu vos alui nec esca, nondum enim poteratis concoquere generosius cibi genus. Et sanè eiusmodi sunt propinãda catechumenis: si secus; cibo fortiore magis offendentur, quàm alentur. *Heb. c. 6. v. 1* Et in Epistola ad Hebræos (si tamen illius Epistolæ est auctor : controversum enim) auditoribus edicit : se omittere elementarem sermonem de Christo, & progredi ad perfectionem, ne denuò jaciat fundamentum eorum dogmatum, quæ subsequuntur. Esse autem ita comparatum cum scriptura; Ambrosius testis: cujus hoc: Diversa *Ad Constãt. Episc. Epist. 44.* sunt scripturarum fluenta, habes quod primum bibas, quod secundum, habes etjam, quod postremum. Nam eiusmodi sunt quædam; ut ad sublimiora manu quasi ducant. etenim si verum, ut verum est, quod Augustinus alicubi docet: multa dicuntur in scripturis submisse humi repentibus animis : ut accomodatius per humana in divina consurgant. Et hinc ad alia. *De morib. Eccl. Cath. l. 1. c. 17.*

At vis, Pistori ἄχαρι, ut comprobem, quam tibi laudo, quorumdam in sacris dictorum perspicuitatem. Non abnuo. Quin volupe ulterius confirmare: ne dicas me sumere quod cum tuis mihi clamosse negas. Educo ergo in aciem primùm sacra signa Veteranorum à DEO inspiratorum: dico Prophetas, & Apostolos: quos si admittas; *1. Verbũ Dei.* nullus es: sin repudies; es futurus deterioris conditionis, quàm nullus. Sit Crastinus quispiam Moses, qui prœlii faciat initium : prolixius ejus est telum: sed conficiendo profligandoque hosti prorsus de- *Deut. c. 30. v. 11.* stinatum: irruptionem hanc eius legis ita descriptam: Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, NON EST OCCULTUM A TE, NEQUE ETIAM LONGINQUUM: NON EST IN CÆLIS: ut dicas: quis ascendet nobis in cælũ, QUI ENUNCIET NOBIS ILLUD; ut faciamus illud? NEQUE EST ULTRA MARE: ut dicas: quis transibit nobis trans mare, QUI ENUNCIET NOBIS ILLUD; ut faciamus illud? SED PROPINQUUM EST TIBI VERBUM HOC VALDE, IN ORE TUO, ET IN ANIMO TUO, ad faciẽdum illud. Hunc

mihi

mihi mucronem lambita. Est facile. Et audis? Quæso autem (cum ita; semper Beccesélenum) ne explices de impletione legis Mosaicæ, ut ille, qui novit BELLARE MINUS: ne cogar equidem dicere: Κρη-τίζεις Pistori. Qui dicunt; Cretenses ego, κακὰ θηρία, ex ore Beati Apostoli, multipliciter convicero. Hoc respondeo. At explica, si vis, de veteris fœderis compage; & tum non habuero, quod excipiam, nisi id, cum aliis certè aliquot mirum mihi perquam videri, quòd perspicuum statuas vetus testamentum, interim novum obscurum dicas: cum alias novum, salubre alliquod explicamentum antiqui juris, quod ante Messiam vigebat, unanimiter statuant. Subnectatur aliud, quod hoc: & ab eodem Mose, id est, ex DEI ore petitum: quod nemo poterit negare; nisi qui se Christianum negare audebit, itaque proponitur: Hæc (Lex) est vestra sapientia, & intellectus coram populis: ut audientes præcepta hæc dicant: en populus sapiens, & intelligens, gens magna. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat DEOS APPROPINQUANTES SIBI: ita JEHOVAH adest iunctis obsecrationibus nostris. Quæ enim est alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias justaque judicia secundum universam legem, quam ego proponam hodie ante OCULOS VESTROS! Et hoc quoque digere. Væh tibi! Aures etjam excruciabit tuas & os; non tamtum intestina stomachumque. hoc enim adhuc tolerabile. Id dicit: Legem hanc esse subjectam Israelitarum oculis. quocirca potuerunt & videre: quocirca & facilis fuit, quia viderunt. Tace vulpio: non intelligit, tum esse dilucidam legem, quando sit penes Israelem: ut oggannire, sed stolidè admodum, soles. Gentes extra Israelem intelligebat. Dic Hyperplato: quî potuerint admirari id, qui non intelligebant, quid esset id, quod admirarentur? At transalpina opus explicatione? ah nihil: norunt quippè transmarini homines, trans mare non esse provocandum: tametsi Gratianus, ingratus ille, suadebat aliud. Didicerant autem ex Mose, qui suprà, Hetrusco haruspice heîc non esse opus. Verum & alius humani generis aspergatur flos: quem odorati, caveamus nobis turpi ab halitu cujusvis fimeti. Qui huic corollæ possit intexi, David est: is nobis in alto adhuc navigantibus, isthanc fidelis accendit lucernam: LUCERNA pedibus meis VERBUM tuum, & LUMEN semitæ meæ. juravi: & stabiliam, ut seruem LEGES JUSTICIÆ TUÆ. Valet, vincit. Fax hæc atque lucerna quamdiu in corpore divinæ scripturæ rutilabit; tamdiu frustrà contende-

Deut. 4. v. 6.

Psal. 119. v. 105. 106.

tur à profanis, lucem, esse noctem, & perspicuum, caliginosum. Atqui, inquis, tum lucerna est verbum, quando quis est illuminatus. Age Chryshippe. Quid aliud hoc est, qu m: Sacra scriptura illuminat, quando illuminat: Aristoteles hominis! Et tamen si illuminére; unde te dicas illuminatum? Interventu verbi illius divini. Omninò rectè: Lucerna enim & Lumen ab actione ita appellantur: quam suo munere defunctam oportet; si passio sit in altero, id est, scripturam illuminasse; si quispiam DEI cognitione sit illuminatus. Quæ tradidit Pater; professus & Filius, Solomon ille, sapientiæ exemplar. itaque ut Pater ipsi ob institutionem commodo; ita filius ob diligentiam in discendo præstitam eidem honori. ergo expertus ita docet:

Eccles. c. 2. v. 13. Et vidi, quòd sapientia sic excellit, stultitiam, ut Lux tenebras. Advolas: &, de sapientia in genere intelligi posse, dicis. Non repugno. Sumo tamen ex altera parte: tamtò certius hæc de perfectissima sapientia posse exponi; quamtò verius ea inferioribus sapientiæ speciebus antecellit. At S. Pagina sola perfectionem sapientiæ sibi vindicat. Aut nega; si ingratum est hoc. Sed nequis. Dato hoc, concludo posterius: Scripturam sanctam propriè esse lucem: & stultitiam, id est, humanas traditiones esse tenebras: ut videas, eos integre sapuisse,

I. W. qui de sapientia omnibus suis numeris constante sunt interpretati hanc sententiam. Verum quid habemus ea de re in tabulis novis? Multa, magna. Et ne omnia adducam; producam pauca; quibus & multa & magna illa comprehendantur. Quid hoc? quòd Christus ita

Matth. c. 5. v. 14. discipulos compellat: Vos estis LUX MUNDI: non potest urbs occultari supra montem posita. Quod vir magnus quidam in Christi

I. B. Ecclesia ad præsentem accommodavit rem: & rectè. Excipiunt scriptifugæ, dici hæc de bonis operibus, quibus velit suos esse conspicuos Christus, quia dicatur in subsequentibus: Ut homines videant vestra bona opera, &c. At in superioribus quoque hoc: Vos estis sal terræ: utrum & hoc de operibus volunt intelligi? Et admitto totum, quod tamtopere urgent: si vult D. Servator, ut discipuli luceant bonorum operum honore; vult &, ut luceant in expositione veræ fidei. tradere enim apertis rationibus, quæ pertinent ad rationes æternæ salutis, opus bonum, & inter bona præcipuum. Vindicat & hoc sacræ scripturæ in quibusdam perspicuitatem, quod Christus apud

Iohan. c. 12. v. 48. Jochannē dicit, & eidem similia alibi plurima exstant: Qui rejicit me, nec recipit verba mea; habet, qui condemnet eum: SERMO, QUEM

LOQUUTUS

LOQUUTUS SUM, ILLE JUDICABIT EUM ULTIMO DIE. Vehemens verbum! Si DEI verbum hominem sit olim judicaturum; intellectum id esse oportet, antequam perveniatur ad generale illud tribunal. Sin aliter; an non ita excipi possit contra Oecumenici judicis sententiam: judicor lege, quam numquam audivi: perinde enim esset, ac si numquā audivisset; si ejus non fuisset assequutus mentem. At impii nulla poterunt niti ratione ad se excusandos: cum dicat ὑπέρμαχος Orator: Si non fuissem illis loquutus; peccatum non haberent. illud quia habet secus; utique & hoc quoque. Enimvero Petrum volunt videri magnifacere. at parvi faciunt. Os eius veracissimum obverberant iniquissimè; dum mittunt renuncium tam eximio ejus verbo: Habemus firmiorem sermonem propheticum; cui rectè facitis, quod attendatis, velut LUCERNÆ SPLENDENTI IN OBSCURO LOCO: usque dum dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus. Isti quid ad lucernam tam evidentem? quàm vellent, si possent, obscuritatis accusare tamtum splendorem. at nequeunt, nec quiverint; quamtisper rutilarit tam preciosus in annulo fidei menticapæ (ut Poeta) ille pyropus. Habe & hoc à sublimi Aquila, ut nôris, ecquod vel omniū de hoc scripturæ genere sit judicium. dicit quippe, quod omnes: Doctrinam novam scribo vobis, quod verum est in ipso, & in nobis, quia TENEBRÆ præteerunt, & vera LUX iam lucet. Perspicuum est lucem amanti, id intelligi de luce doctrinæ; docent enim & antecedentia & consequentia, docet & res ipsa. Si velit quis dicere, hoc tamtum esse dictum de novo Testamento: annuo ego: & infero, ergo aliquid lucidum est in scriptura: quod aliàs totis lateribus solent infitiari. Immò sic satis lucis: etenim interpretatur Euangelium Christi legem universam: at res explicata obscura amplius non est: habuerimus ergo & in veteri & in novo Pacto, quæ fuerint clara, perspicua, tametsi hoc sit clarū per se; illud verò per hoc. Sidera hæc, miser Pistori, sunt exstinguenda, Christusq; sol, qui tribuit ipsis lucem, si vis (ut vis; sed frustra) ut credamus, nihil esse in sacræ scripturæ compage, quod agnatam nostram obscuritatem illustrare possit.

2. Ep. c. 1. v. 19.

1. Ioh. c. 2. v. 8.

Sed age, ad aliud probandi genus nos conferamus: demonstret & hoc illud: de quo inter nos quæritur. Non vero hoc accipe, quasi superiora sacra illa non satis habeant roboris πρὸς τὸ ζητούμενον δεῖξαι. Non ita enim do. Sunt testata sanctæ Vetustatis, cui non ideò credimus, quia cana est, sed quia sana. inculcat enim, quod per scripturam

2. Ecclesia Christi.

fuerat prælibatum. Ergo cum aliud non faciat, quam ut superiora explicet; ut vera constantiaq, affert; ita qua potest diligentia est attendenda. Et primum quidem audiendus Cyrillus est: qui quàm Domini sit studiosus, ita disce: Dicimus igitur, quòd lingua quidem Hebræorum prophetica dicta sunt, & Mosaica: ut autem OMNIBUS ESSENT NOTA, PARVIS ET MAGNIS, utiliter familiari sermone commendatæ sunt: ITA UT NULLIUS CAPIUM TRANSCENDANT. Hæc ne præcisè de omnibus accipias, ita se explicat, ut dicat, quædam esse tamtæ lucis, ut, quæcunque sublimia sunt, eximiè illustrent. Sed id copiosè infrà. Cyrillus ita: Nonnumquam tamen propter audientium imperitiam, cum eos nihil intelligere videat, OMNI AMBIGUITATE SERMONIS REMOTA, DILUCIDE AC BREVITER TOTAM MYSTERII VIM EXPLICAT: ut nulla excusatio non credentibus relinquatur. Augustinus etjam hoc sentit: quocirca & heic locum habeat: cum & alias talis sit, ut res magnas magna explicet dexteritate. Sacra scriptura, inquit sanctissimus ille vir, sæpè manifestis sermonibus insinuat, in quibus nihil, PRÆTER ID, QUOD SONAT, quærendum invitat. Et aliud non alius, quod tale: Sacra scriptura invitat omnes HUMILI SERMONE, quos non solum manifesta pascat: sed etjam secreta exerceat veritate: HOC IN PROMTIS, quod in reconditis habens. Adhuc aliud, quod ita, Divina scriptura aliquando tamquam INFIRMIS INFIRMITER loquitur: & tamen innuit aliquid, quod intelligat qui voluerit. Tum &, quod ejusdem sententiæ: FIGURATE qui OMNIA dici in sacris litteris credunt, illi falluntur. Quid autem Chrysostomus noster? aurea verba: aureum os. verum enim docet constantissimè, quod quovis auro prçstantius. Is ita: Humano more, & quadā attemperatione ad nostrā imbecillitatē divina scriptura loquitur: alioqui nisi hac ratione fuisset usa, non possibile erat, ut aliquid dictorum suorū intelligeremus. Et hoc ejusdē valde est ponderosum, quod ipse ꝓposuit his verbis: Propterea siquidē spiritus gratia dispensavit illa (sacra scripta) tēperavitq; quo publicani, piscatores, tabernaculorū opifices, pastores, & apostoli, idiotæ, illiterati per hos libros salvi fierent, ne quis idiotarum ad hanc DIFFICULTATIS EXCUSATIONEM cōfugere possit, ut OMNIBUS FACILIA CONSPECTU ESSENT ea, quæ dicuntur, ut & opifex, & famulus, & vidua mulier, & omniū hominū indoctissimus ex audita lectione aliquid lucri utilitatisq; reportet. Habemus plures quorum utinam

Adv. Iul. l. 7
Sup. Ioh. l. 3. c. 36.
De assumt. Mar. Deip. c. 1.
Ad. Volus. Ep. 3.
De Gen. ad lit. c. 6.
In Gen. litt. c. 1.
In Gen. Hom. 9.
De Laz. hom. 3.

utinam omnia possem percensere. Quæ præcipuè occurrebant, hæc sunt. Hilarius ut exhilarat hoc asseveretum! qui ita: Sermo divinus secundum intelligentiæ nostræ consvetudinem naturamque se temperat, COMMUNIBUS VERBIS rerum ad significationem doctrinæ suæ & institutionem adaptatis. NOBIS enim, non sibi loqvitur: atque ideo NOSTRIS utitur in loquendo. Et alius quàm fulget certè noctuis effodit oculos, dum ita non minus venuste quã vere: Sic cælestium delitiarum copia spiritalis exuberat, ut in verbo Dei abundet, quod perfectus comedat; ABUNDET etjam, quod PARVULUS sugat. Ibi enim est & LACTENS POTUS quo TENERA fidelium nutriatur INFANTIA: & solidus cibus, quo robusta perfectorum juventus spiritalia sanctæ virtutis accipiat incrementa. Hæc Lactantius: Ecce vox de cælo veritatem docens, & nobis SOLE IPSO CLARIUS LUMEN ostendens. At Tertullianus sanè bonus: Sed & VULGUS jam SCIT Christum, ut aliquem hominum, qualem jehudæi judicaverunt. Ex Epiphanio autem ferè haberem infinita: non possum; audi hoc, quod præclarum. Πάντα σαφῆ ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ τοῖς βουλομένοις εὐσεβεῖ λογισμῷ προσέρχεσθαι τῷ θείῳ λόγῳ: omnia CLARA in sacrâ Scripturâ, his nimirùm, qui piâ ratiocinatione verbum divinum adire volunt. Par veritas est & apud OEcumenium; par itaque ei fides est habenda; at ea; οὐχ' ἡμῶν ἔγκλημα ἡ ἀσάφεια τοῦ εὐαγγελίου· ἀλλὰ τῆς ἐκείνων ἀπωλείας, καὶ τυφλώσεως: Non culpa nostra est; nec OBSCURITATIS Euangelii, sed perditionis eorum & excæcationis. Restant adhuc duo quidam, qui audiendi; & audiendi, tametsi à veritate cælesti interdum abeunt diversi. At eò majoris ponderis eorum testatum. apparuerit enim; nihil eos favore causs; heic pronuntiàsse. Ergo veritas ita sese ab eis liberat & canit per Clementem Alexandrinum; Audite qui LONGE, audite qui PROPE. NULLIS CELATUM EST VERBUM; LUX EST COMMUNIS, OMNIBUS ILLUCESCIT HOMINIBUS; NULLUS EST IN VERBIS CIMMERIUS. Festinemus ad salutem; festinemus ad regenerationem. Tum & per Sixtum Senensem; qui nescio quomodo, & sui & suorum oblitus ita canit. Nos sane illi gratiam habemus; nam certè à suis illi negabitur. ait enim, Sacram scripturam APERTAM ET DILUCIDAM esse, utpote quæ PRIMA SUMMAQUE RERUM CREDENDARUM PRINCIPIA AC PRÆCIPUA BENE VIVENDI PRÆCEPTA & exempla cognitu facilia complectatur. Hæc adduxisse sufficiat testimonia; ut liquidum omnibus fieret, & venerandam vetustatem sensisse,

Hilar. in Psalm. 118.
Fulg. in Sermon. De Cõf.
Divi. Instit. l. 3. cap. 30.
In Apolog. cap. 21.
Epiphan. Hær. 76.
OEcumen. ad Cor. 2. Epist. c. 4.
λόγ. προτρεπτ.
Biblioth. l. 6

quæ hac contentione aſſeveramus. Si placet Patrum vox; volo nimi-
rum, ut & hoc placeat. eſt enim eiusmodi calculus, quo reliqua o-
mnia nituntur diſputata. Mihi ſanè, ut omnibus, quibus incorru-
ptum verum eſt cordi, vehementer probatur: ac ſtatuo, illis tam ſan-
cta tamque immota profeſſis non niſi à mentibus profanè peregri-
nantibus poſſe contradici. Habe jam hæc pauca: qui inferius adhuc
plura es cogniturus. Abrumpenda fuit Antiquitatis allegatio, ut eſ-
ſet aliquis locus illi quod ſequitur.

Ratio ſincera. Eſt autem tertia noſtræ confirmationis ratio: ea nimirum,
quam ſuppeditat ſincerum illud animi noſtri lumen. Neque enim
illud repudiandum; ſi ex propoſito aliquo S. Paginæ axiomate aliud
eliciat, adhibito ſacro illo canone, quem ſolent aliâs vocare πρεπον παι-
Coloſſ. c. 4. v. 6. δειας. Vult quippe ſapiens Apoſtolus: ut ſermones noſtri ſint conditi
In Geneſ. Hom. 6. ſale, ut gratiam inveniant apud eum, cui loquuntur. Sal, Origeni ſan-
ctam ſignificat prudentiam. ait enim: Quòd (uxor Lothi) fit ſtaticu-
lum ſalis; inſipientiæ ejus indicium expoſitum videtur. Sal enim pru-
dentiæ loco ponitur, QVÆ ILLI DEFUIT. Salem hunc accuratè in-
veſtigat rebusq; aſpergit genuina Logice. etenim de eâ Plato ſic: τηνδε
γουν ουδεις ημιν αμφισβητησει λεγουσιν, ως αυτου γε εκαστου περι ο εστιν εκαστον ουκ αλλη τις
De Repub. l. 7. επιχειρει μεθοδος οδω περι παντος λαμβανειν Nemo hoc nobis negabit dicen-
tibus, quod nulla alia (quam Dialectice) methodus conetur ordine
cognoſcere de unoquoque, quid ſit. Nec lateat, quod Ariſtoteles.
Top. l. 1. c. 2. Ἐξεταστικη ουσα, προς τας απασων των μεθοδων αρχας οδον εχει: indagatrix (Dialecti-
ce) cum ſit, omnium in artibus principiorum viam aperit. Exſpecta
ergo validum quid, tale nempe, quod nullus ſcripturæ calumniator,
quam magnus vel ſit, diruere queat. Struatur autem, quod molimur;
εν υποθεσει, ut ratiocinatiò ſit amœnior. at facilè tamen induerit for-
mam δεικτικου συλλογισμου. Si voles; tibi fac. Ego ita.

SI UNIVERSA SACRÆ SCRIPTURÆ COM-
1. PAGES EST OBSCURA, 1. proprio ſuo excidit fine. Et ra-
tio: ſcribitur quid, ut legatur; & legitur, ut intelligatur. Si non intelli-
gitur, profectò fruſtrà legitur: ſi fruſtrà legitur, nullo fine fuit de-
Prim. Phil. l. 2. c. 1. ſcripta. etenim Philoſophus: αλλο ενεκα αλλου αει: unum ſemper eſt alte-
rius cauſâ. Deficiat unum: defecerit & reliquum. 2. Eſt impedimen-
2. tum noſtræ inſtitutionis. Ita approbo. Translatio infrequentior mi-
nus diſcentem impedit, quàm ænigma: quia hæc docet ambiguè; hoc
autem nihil prorſus. Quòd ſi itaque impedierit η μεταφορα, ut impedit:

μα

μὴ δεῖ διαλέγεσθαι ταῖς μεταφοραῖς: non differendum est translationibus, *Post. Anal. l.2.c.13.*
ait ille Ethnicorum propheta. quamtò magis de DEO docendis ænigmata obstiterint. 3. Est supervacua. Verè consequens. nam si lux 3.
quædam sacræ scripturæ per Traditiones non scriptas infertur, clariores eas oportet esse sacrâ scripturâ. Eæ vero si clariores, per eas absolutè possumus doceri: & removeantur illa caliginosa didagmata sacrorum voluminum, superantia vel tenebricosi Platonis τὸ ὀφρυόσκιον, *Top. l.6.c.2.*
oculum, τὸ σηψιδακές, araneam. 4. Non undiquaque sibi respondet. 4.
ratio hæc: verba intelliguntur; res verbis insinuatæ percipiuntur: necessum itaque, res illas verbis significatas sua inter se discordiâ illam Bibliorum caliginem parere. nam ut ad rationis nostræ sensum congruat, non requiritur: cum mens se habeat ad ea ὡς νυκτερίδων ὄμματα *Phil. prim.*
πρὸς τὸ φέγγος τὸ τῆς καθ' ἡμέραν, ut noctuarum oculi ad jubar meridia- *l.2.c.1.*
num: ut Aristoteles. 5. Stultè suspicitur. Quid ita? nempè obscura: 5.
quia obscura; nō intelligitur. At cum non intelligitur, qui jure potest suspici? Est quidē τὸ θαυμάζειν ἀρχὴ φιλοσοφίας, admiratio est principium *In Thaetet.*
philosophiæ, ut Plato: attamen mirari rem illam cujus nec cognitum est τὸ ὅτι; prorsus stolidum. 6. Ei non absolute credendum. Hoc 6.
ideo. fides nostra est addicenda iis tamtummodo, quæ ἄπλαστον habent ἀλήθειαν. Scriptura verò si obscura; non statuitur habere infallibile verum: quia illius obscuritas efficit, ut nobis sit obscurum: utrum habeat tamtam veritatē, quamtam illi attribuant quidam. Ait aliquis: *Plat. in Phæd.*
ἀνὴρ ἐπιστάμενος περὶ ὧν ἐπίσταται ἔχοι ἂν δοῦναι λόγον: Vir sciens de iis, quæ scit, potest reddere rationem. ex obscuro nemo potest reddere rationem: ergo non habuerit scientiā, ergo non potuerit credere. 7. Non 7.
est bona. Si enim S. scriptura ita tenebris est involuta, ut à nullo hominum certò possit intelligi; sua non potest nobiscum cōmunicare: non enim nisi intellecta hoc præstat. Dum nihil de se elargitur; bonitate vacat, quæ rebus existit per suas actiones, κοινωνητικὸν ἑαυτοῦ τὸ ἀγαθόν: *Ocell. Luc.*
communicativum sui est bonum: dixerat alius. 8. Est probanda per 8.
aliud. Accipit quippe (ut ajunt) aliquam lucem. at illa præter rationem vix infertur. Quod si cum ratione; ratio illa scripturam demōstrabit, eiq; lucem ac suam veritatem vindicabit. Inde sacrorum voluminum dicta erunt problemata: quæ superiore probata. creduntur. sic enim de problemate Alexāder Aphrodisiens. προτιθέμενον εἰς δεῖ- *In Analyt.*
ξιν, ὂν μὴ γνώριμον, πρόβλημα καλεῖται, Problema appellatur, quod cū sit ob *prior l.1.*
scurū, probandū proponitur. 9. DEUS est invidus. Namq; is (ut rectè 9.

premunt nostri) si scripturã nobis transmisit obscurã, alterutrum ex duob' sequetur: videlicet Deũ aut nõ potuisse hoc, aut noluisse. prius nec ausit effari ipse satanas; superest ergò, non voluisse. Id autẽ est invidiæ. qui enim non dat, quod citra rerum suarũ dispendium dare potest, credendus est invidere ei, cui quidem dare possit. Quî ergo non
Phil. prim. l. 1. c. 2. verum evaserit poëticũ illud; πέφυκε φθονεῖν τὸ θεῖον; natus ad invidiam
10. Deus. 10. Deus est malus. Avertat Deus, & hoc, & omnia, quæ consequuta, & consequutura, vel cogitem! attamen sequitur hujusmodi impietas ad impietatem suprà positam κατ' ἀντίθεσιν ex antagonistæ mente. Mens omnium hominum miserè obtenebrata est. fatetur hoc, cui vel tantillum lucis. Quod si obscuram scriptionem obscuræ menti obtrudat Deus; nónne quod malum est, malo au-
Euripid. get? id ἐπιχαιρεκακοῦ: qui malus. Et certe ex poëta aliquis exclamet; μὴ νοσοῦντι μὴ νόσον προσθῇς: ægro ægritudinem ne addas. 11. Æquita-
11. ti non studet. Nihil obscurum. requirit Deus ab omnibus notitiam sui & certam & apertam; & hac qui vacat, hunc reprobat. Jam si hâc suam essentiam ac mentem disertè ac apertè nobis non probet; plus exigit à nobis quàm credidit, quod injustitiæ factum; cujus Deus (absit! absit!) aut reus, aut Scriptura erit plana. Perpetuum quippè ju-
Polit. l. 5. stitiæ est τὸ ἴσον, dicente Aristotele: πᾶν δίκαιον νόμιμον καὶ ἴσον: omne ju-
12. stum est legitimum atque æquale. 12. Non agit candidè. Hoc tale. candoris est, quæ sentias, exposita verborum serie proponere: nam quidvis posse simulare, vel dissimulare, Catilinæ est; non viri cui simplex probatur verum. Ergo si efferas de Deo, quod in sacris obscurè nobis obmugiat; efferam ego de te, tribuere te nefariè Deo animi
Soph. Eleng. l. 1. c. 2. perversitatem: quæ te manifestè exercet. Ex fonte: ἀναγκαῖον τοὺς βουλομένους σοφιστεύειν τὸ τῶν ὁμωνύμων γένος ζητεῖν; necessum est, ut, qui volunt,
13. sophisticari, homonyma quærant. 13. Non sumus divinitus docti. Et attende, si usu veniat, ut intelligatur (ut intelligi tandem ipsi fatentur lucifugę) intelligitur aut ex Scriptura, aut extra Scripturam. prius nolunt, nam eo confodiuntur: volunt posterius homines præposteri. Dixerim heîc, extra Scripturam jam Deum non loqui: nam extra S. Scripturam Scriptura non est. Jactent S. Spiritus suggestum. non videmus. Ergo docemur certè humanitus, At certè aliquis di-
Phil. prim. l. 1. 2. xerit cum Simonide: θεὸς μόνος τοῦτ' ἔχει τὸ γέρας; Dei solius hoc est pe-
14. culium. 14. Non danda ei opera. Hoc ideo: si obscuritas, qua horret sacer codex, vel tollatur, & appareat quod dicat. effectum tamen

hoc

hoc est per aliud: quod si habemus cognitum; tuto illi possumus valedicere, quod suam accipit lucem ab eo, quod familiarius: τελείως γὰρ κατανοοῦμεν διὰ τὸ ἁπλούστερον: per simplicius perfectè discimus.
15. Non possumus rationem reddere nostræ fidei. Ne dubita: si *Simplicius.* *15.*
dubites; obsecro te, ut reddas. Vis allegare hominis rationem? sapit illa, ut tu, quando eam vis allegare: id est, desipit. Vin' spiritum: si bonus is esset: at nec mihi nec tibi absolutè de eo constat. Scripturam S. non poteris ad caussam advocare: fecisti obscuram. at obscura δεῖται Δηλίου τινὸς κολυμβητοῦ: indiget Delio illo natatore: ita Socrates de Heraclei- *D. Laërt. in*
to. 16. Non possumus convincere Hæreticos. Aut me convince: *vit. Socr.* *16.*
nam tibi Hæreticus videor. Nego tibi ex nefario tuo principio, quod numquam negavero sanus; Scripturæ dictato me posse judicari: est obscura. quod das. Et jam, si vis, me sterne. Ubi successio? si des, nihil efficiet, & jacet, quid efficiet? Grandis ætas tuæ opinionis: itáne tu: quanta quanta sit illa; non est vetustior Hebræorum Synagogâ Christum abrogante. Aut profer, quod habes. nihil habes, nihil affers. Restat tibi αὐτὸς ἔφα: cui cedo; quando volo. 17. Vilior esset *Pythagor.*
reliquis scientiis. Etenim cujusq; quæcunque sit, principia ita sunt *17.*
nota, ut demonstrari nequeant illa ἐξ ἄλλων. est enim ἕξις ἀποδεικτική, *Post. Analy.*
habitus demonstrativus: at verò ἡ ἀπόδειξις ἐκ γνωρίμων: ex notis. In *l. 1. c. 2.*
sacrâ Scripturâ (Papistarum sententiâ) nihil est lucis. quid scientiæ? negabitur ergò Scriptura esse scientia: quæ scientiarum est domina.
18. Vilior est traditionibus. Ait quis, Traditiones esse illud moly, *18.*
quod omnem vim avertat à Romanâ Ecclesiâ. Lindane dure! dic de sacrâ paginâ; & loquêris cum piis omnibus. Non dicis: ergò Traditiones supra Scripturam extollis. Intelligis Scripturam, quia traditiones: non contra. Quid Apodeictus? δι' ὃ φιλοῦμεν, ἐκεῖνο μᾶλλον φίλον: *Post. Analy.*
propter quod amamus, illud magis amabile. 19. Inferior ratio- *l. 1. c. 2.*
ne. Quid istud? siquid in rebus religionis doceat ratio quod Scri- *19.*
ptura ob sui caliginem celat; plus rationi fuerit deferendum, quàm Scripturæ. De antecedente fatentur liquidò. ajunt enim, obscurum esse in Scripturâ, utrum mundus aliquãdo cœperit: at rationem nullis rationibus convincere possumus, quod mundus sit æternus. πεπερασμένον σῶμα οὐκ ἄπειρον ἔχει δύναμιν: finitum corpus, infinitam non ha- *Proclus de motu.*
bet virtutem. Aristoteles, muti. 20. Inferior sensu. Statue idem *20.*
cõnexum, quod antea dedi. Cunctaris credere, utrũ doceat Scriptura, esse aliquam DEO de inferioribus curam: quod vides vel oculis,

nisi claudas eos ultrò. Ecquis nequior esse velit Diabolo, qui dixit:

Porphyr. in Eclog. philo. Παῦε τι ζωογονῶς ὁπόσα ψυχὴ τι περὶ ἔχει:

Dis animas animâ quacunque reciprocat ullas:

21. ut accinam & latinè. 21. Non videretur adversari mendacio. Nimirum enim cum falsis ita est comparatum, ut quæ sint, non possint intelligi. Quid mirum? fovetur ψεῦδος: ut autem foveri possit, decem alia proinde requiruntur: & tamen & his vix palliatur. Inde fit, ut multa in eo sint auia, multæ tenebræ. Ita maximè est verum:

Euripid. ἄδικος λόγος, νοσῶν ἐν ἑαυτῷ φαρμάκων δεῖται σοφῶν. Injustus sermo, seipso

22. laborans, indiget medicamentis astutis. 22. Similis est responsis Loxiæ. Talia enim erant oraculorum effata, ambigua, varia, ut, quomodocunque res caderet, pseudo-Deus non videretur mentitus.

Or. Delph. Τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα: Saturno mittite phota; ajebat Delphicus, quando de suo cultu interpellaretur. quid φῶτα? sacerdotes sunt interpretati: *Heroa:* Heros, Lychnos. 23. Nullus esset nostræ religionis

23. canon. Verè verum. quæcunque enim afferri possunt, sunt talia, ut regulâ quâdam vera sint demonstranda. Et amplius: quæ afferuntur, non sunt extra partes. Dicas mihi, te esse Ecclesiæ membrum. Subjecero ego: pars es, quid judices? At ita senserunt aliqui veterum. Si ita senserunt, ut tu; quæritur mihi, an rectè Catholiceque senserint?

Julian. Si ita; jure exclamaverir dirus ille: πολλοὶ λόγοι! πολλὰ ἐπιχειρήματα! quantæ

24. rationes! quantæ demonstrationes! 24. Enthusiasmo verè tribuitur principatus. Certè enim hoc tamtum restat, ut dicant occultâ inspiratione se hoc tenere. Heic ergo mecum conferre ampliùs non potes. affers enim demonstrationem ejusmodi, quam nec video oculis, nec ullâ percipio ratiocinatione. Quin nec tu scies, utrùm vera: nisi superiorem habes regulam; quam me celas. Transformat se quandoque Sathanas in angelum lucis: ita Apostolus. ergo dic, quo modo dijudices species visionum; si offeruntur. malæ interdum splendent valde: magis interdum, quàm bonæ: ergo opus regulâ, quam tibi fabrica; mihi exprome. Restat ergo, ut jactentur τὰ ἔσω: τὰ ἔξω nihil tuam juvant caussam. Talis propositio ἡ μείζων. Volebam progredi: & attexere alia quoque. Ratio instituti abnuit: quæ monet: & audiendum esse quoque τὸ ἀντιλαμβανόμενον.

Consistit vero illud in eo; ut consequens propositi enuntiati in membris vigintiquatuor negē, & veritatis firmamentis subnixus tollam. Aspiciā equidem illud os, quod tàm exsecrāda defendet; & frontem ef-

tem effrontem ſtupebo: cui hæc tectorio aliquo inducere nulla religio eſt. Non (ecce ſonorè) defendentur, niſi ex Protagoreis principiis, ſcitis quibus? aut ex Heracleiteis traditionibus: quæ huic hominum generi in precio. At fauſtâ juſſione ὑπαύδης λέγω ita procedo. *In Theat.* *In Metaph.*

POSTERIUS (propoſiti antecedentis) FALSUM. Ecquod autem?
1. Sacra Scriptura numquam ſuo excidit fine. Finis autem eſt is, ut legatur: & ut lecta intellectaque DEI voluntatem demonſtret. Ita Jochannes: [Hæc ſcripta ſunt; ut credatis, JESUM eſſe CHRISTUM Filium DEI.] 2. Non eſt impedimentum noſtræ inſtitutionis. Qui ſit? cum doceat quæ vera ſit religio: ſola docet. jam auditum. Niſi doceret; Chriſtus fruſtrà ad illam veræ religionis ſtudioſos amandaret. amandat ſerio: Scrutamini Scripturas, illæ ſunt, quæ teſtificantur de me. 3. Non eſt ſupervacua. Niſi forſitan dicere volumus id eſſe ſupervacuum, quod cavet, ne quid ſupervacui religioni aſſuatur. Immò vero nihil in ſacra monſtrabitur paginâ, quod uſum non habeat aliquē admirandum. Moſes loquere: ne noſtri Bellatores cōmonitorium eſſe tantum ſomnient. ſic is: [Hoc verbum nō eſt vobis inane; ſed eſt vita veſtra.] 4. Sibi undiquaque reſpondet. Nec mirum. eſt enim Veritas. Veritatis autem eſt, undique ſibi conſentaneum eſſe. Ergo quod Jacobus aſſerit de Petri concione in Synhodo Hieroſolymitanâ, quòd cum eâ cōſonent verba Prophetarum; id de integro S. Bibliorū opere poſſumus pronuntiare. 5. Sapiēter ſuſpicitur. Et qui non nōn ſuſpicit: nō ſuſpiciendus vel ullâ in re. DEI vox eſt: aliâs non loquitur. Qui pius; dicat cum ſancto Pſalt. Melior eſt mihi doctrina oris tui: quàm millia auri & argenti. 6. Ei abſolutè credendum eſt. Nam ſi habemus eam; nihil dubitemus: habemus ejuſmodi, quod nullum acumen, etjam Carneadéum Chryſhippéumve queat expugnare. Si non; cur tantâ confidentiâ Paullus Agrippam rogat: Credis Agrippa Prophetis? ſcio, te credere. 7. Eſt bona. Bonitas ejus multis argumentis poteſt concludi, quæ heic prætereunda ſunt. Qui bonitas negetur illi; quod exponit, quod verè eſt bonum: & quis ejuſdem auctor. Quæcunque ſcripta ſunt, in noſtram doctrinam ſcripta ſunt: ait magnus noſter Apoſtolus: & S. Scripturam eximiè à bonitate commendat. 8. Non eſt probanda per aliud. ſi probanda; aut S. Scriptura non erit divina, aut aliquid eſt divinum, quod doceat hoc divino divinius: ἐκ ἁμαρτήματι enim eſt legitima probatio. Neutrum eſt: prius ἄθεον: poſterius βλάσφημον; aut

Margin: 1. | *Ioh. c. 20. v. 31.* | 2. | *Ioh. c. 5. v. 39* | 3. | *Deut. c. 32. v. 47.* | 4. | *Act. c. 15. v. 15.* | 5. | *Pſalm. 19. v. 72.* | 6. | *Actor. c. 26. v. 27.* | 7. | *Rom. c. 15. v. 4.* | 8

(ago autem de proximo) dic: quæ res externa divinitus data, ut doceat, magis doceat sacra Scripturâ. Facit huc, quod edicit DEUS servator: Ego ab homine testimonium non accipio. 9. DEUS non est invidus. Esse invidum refutat Paullus perspicuo effato: Vult DEUS omnes homines servari, & ad agnitionem veritatis venire. Si vult; ut vult, confecta res. voluerit enim & hoc, ut S. pagina intelligatur: aliâ enim viâ (ut jam habet DEI ordinatio) ad DEI notitiam nemo perveniet. Esse invidum DEUM, universa natura confutat, quam & educemus contra eum, qui hæc vel obliquè negârit. 10. DEUS nõ est malus. Nisi forsitan Manichæus adhuc exsistat quis, qui præter verum DEUM qui bonus, introducat & Deam quandã τὴν ὕλην: quæ mala. Nos ejuscemodi hominem relegabimus in insulam Atlantidem, ubi non videntur somnia, qui scimus ἐξ ἀρχῆς Neminem esse bonum, præterquam unum DEUM. 11. Studet æquitati. Immò non studet ei, sed est æquissimus ex suæ naturæ proprietate. quî enim æquus non sit, qui æquitatis est regula; quique æquitatem ab omnibus exigit hominibus? Vel Davidis hoc nos edocebit solum, quo DEUM ita compellat: Non es DEUS qui delectetur iniquitate. 12. Agit candidissimè. Candor ejus apparet in omnibus DEI operibus, & nigratæ mentis qui sunt; eos aversatur. Asciscit nos sibi ab æterno verè, non simulatè: vocat nos inseritque suæ ecclesiæ verè; nõ simulatè. & dum nos vocat; docet nos verè, non simulatè: id est, eam frequentat in docendo rationem, non quę ipsi convenit, sed quæ nostræ tarditati est accommoda. Non alia scribimus, quàm quæ legitis: inquit Apostolus. 13. Sumus docti divinitus. Nec ab homine possemus doceri: quia hominis captum superant, quæ hoc modo docemur. Etenim homo tantum ea potest docere, quæ cognovit aut sensu, aut ratione. capita religionis ab utroque sunt remotissima. Ergò necessum, quod aliunde non suppetit; ut à DEO commonstretur ipso. At monstratur: audimus enim apud Apostolum; Nos non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui est ex DEO; ut sciamus, quæ gratis nobis à DEO sint donata. 14. Scripturæ danda est opera. Et quòd danda sit illi potiùs quàm ulli alii rei; variè docetur ab eadem. occurrat modo quod Moses concionatur Israëli: Acues ea, ait, filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tuâ, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. Et detur: quia regula est illustris: ad quam quicquid non congruit, falsum censeatur: est quippe di-

[Margin notes: Ioh. c. 5. v. 34. — 9. — 1. Timoth. c. 2. v. 4. — 10. — Luc. c. 18. v. 19. — 11. — Psal. 5. v. 4. — 12. — 1. Cor. c. 1. v. 13. — 13. — 1. Corinth. c. 2. v. 12. — 14. — Deut. c. 5. v. 7.]

vinitus inſpirata: quocirca non ſapuerit vulgaria. 15. Poſſumus 15.
rationem reddere noſtræ fidei. Quæ enim eſſet fides, quæ certis
rationibus non poſſet vindicari? Chymæra eſſet in mente, quæ nec
Deo probaretur, nec hominum ſatisfaceret poſtulatis. At certi
quid, quia eſt fides; habuerit firmamenta, quæ non potuerint ever-
ti: ratio hoc non docet, quæ ſola alias docet: quid ergo? nulla au-
ctoritas: numquid igitur non aliud? Poſſumus rationem reddere
noſtræ religionis: quod diſces ex Petro: Eſtote parati ſemper ad re- 1.Pet.c.3.v.
ſpondendum cuilibet petenti rationem ejus ſpei, quæ in vobis eſt. 16.
16. Poſſumus convincere erroris hæreticos. Si ſecus; omnium eſſe- 16.
mus maxime inermes. At Deus qui ingentem ſuæ cognitionis the-
ſaurum nobis concredidit; dedit &, ut exacte poſſimus repellere,
quicquid fraudem aliquam illi poterat ſtruere. ſic Paulus: Ratio- 2.Cor.c.10.
cinationes evertimus, omnemque ſublimitatem, quæ extollitur v.5.
aduerſus cognitionem Dei. 17. Non eſt vilior reliquis ſcien- 17.
tiis. Τῆς Αὐτοσοφίας enim vox miſit ancillas, ut vocarent ad arcem, Proverb.c.
ut Parœmiographus ait. Verba hæc Aquinâs diſputator intelligit de 9.v.3.
ſcriptura & reliquis ſcientiis ſcripturæ ancillantibus, nobiliorem-
que eam eſſe contendit propter nobiliſſimum ſubjectum, quod ha-
bet: ſubjectum id, Deus ipſe: & quia judicet de ſingulis, tametſi ſin-
gulas non probet. 18. Non eſt vilior traditionibus. Quæcunque e- 18.
nim vel ſint, ſunt ſcripturæ vel conſentaneæ, vel diſſentaneæ: diſſen-
taneas Deus malè perdat: conſentaneæ inferiores ſunt ſcripturâ: il-
larum enim regula ſcriptura. de regula autem verum, eam ſemper eſ-
ſe præſtantiorem ſuo regulato, ut loquar barbaris barbarè. Traditio-
nes non ſunt immeritò ſuſpectæ. Hæc certè edixit Paullus expreſsè: 1.Cor.4.v.6.
Diſcite à nobis ſupra id, quod ſcriptum eſt, non ſapere. 19. Præſtan- 19.
tior ratione. Ratio certè falli poteſt: aut fallor ego, qui hæc dico. At
ſacræ ſcripturæ veritas fallit numquam: quocirca haud rarò ratio La-
byrinthus quidam eſt, in quo miſerè erramus, donec filo ſcripturæ
præſtetur, ut in regiam viam delati exitum inveniamus. Unde divi- 2.Cor.c.10.
nè divinus Apoſtolus: Captivam ducimus omnem cogitationem in v.5.
obſequium Chriſti. 20. Præſtantior ſenſu. Non ſatis enim fidelis 20.
inſtitutio eſt ſenſuum: non quidem ex eorum propoſito, ſed impe-
dimento: utut inviti enim vel falſum deferant; tamen nimis ſæpe de-
ferunt: quod quidem quoties contingit, toties infelix eſt noſtra in-
ſtitutio. Quocirca & Abrahamus commendatur, quod multum huic

Rom. c. 4. v. 18. non tribuerit: [Abrahamus præter spem cum spe credidit, ut pater fieret multarum gentium: secundum quod dictum erat: Ita erit se-
21. men tuum.] 21. Reapse adversatur mendacio. Hoc tale, ut non nisi cum rubore ab atheo negari possit: & verè si alia veritas alia est dignior, sol fuerit reginaque veritatum, quam sacri produnt codicilli. Negent Juliani: sunt Porphyrii, qui ab hac veritate devicti, eam, si
Joh. c. 17. v. 17. velint, vel negare haud audeant. Quid servator de illa? Veritatem di-
22. cit: [Sanctifica, Pater, eos in veritate: sermo tuus est veritas.] 22. Non est similis Oraculis Apollinis. Caussa nimirum aliqua subest, cur Satanas ludat ambiguitate: incertus est de eventu: certi itaque nihil de eo potest pronuntiare. Res aliter habet cum DEO, cui certitudine præsentia sunt tempora: quocirca nulla est caussa, cur abrepat in tenebras: lucem amat, cui tenebræ sunt lux. Aggrega huc, quod Paul-
2. Cor. c. 6. v. 15. lus: [Quæ consensio Christo cum Belial?] 23. Fixus est nostræ religionis aliquis canon. Isque evidens. Certum enim, certissima esse,
23. quæ sacra promulget pagina. at certitudo nulla potest esse sine regula: cujus præscripto certum cõmonstratur esse certum. At evidentia necessariò subsequitur: regula enim si non dirigat, & corrigat; non regula. at nec dirigere nec corrigere potest, nisi ejus opera sit manife-
Esa. c. 8. v. 40. sta. Regulam esse sacram scripturam, docuit Esaias: cujus pii benè sunt memores: [Ad legem, & ad testimonium ejus: nisi dixerint se-
24. cundum verbum hoc, non orietur eis matutina lux.] 24. Enthusiasmo non tribuatur principatus. Non illi fidendum certè: cùm, quòd Diabolus se transformat interdum in angelũ lucis, ut suprà fuerat dictum: tum quod hac tempestate placeat DEO illa ratio, quæ per media externa humana divinis associet. Nihil enthusiasmus, nihil probat: non cernitur: & quilibet eumdem, quicquid vel doceat, potest
2. Thess. c. 2. v. 2. jactare. Et Paullum mihi audi: is æquus. Ait autem: [Ne citò à mente dimoveamini, neque turbemini, vel per spiritum, vel per sermonem, vel epistolam, tamquam per nos.] Ita per censui τὰ ἄτοπα, quæ inevitabili necessitudine se insinuant, si dogma de universæ scripturæ obscuritate admittatur: ingereret se & alia: ἑνὸς γὰρ ἀτόπου δοθέντος, καὶ τἆλλα
Phys. l. 1. c. 2 συμβαίνει: Uno absurdo dato, & alia sequuntur: ait τῆς φύσεως Mystes. Jugulavi singula; scriptura partim, partim ratione ad eam rem usus: & legavi consideranda iis: quorum cor canit ejusmodi: περὶ θεῶν ὡς
Plato in Theateto. εἰσὶν ἢ ὡς οὐκ εἰσὶν, ἄδηλον φανερῶς: nuspiam perspicuum, sintne Dii, an non sint. Unde confeci, quod quidem conficere volui: & ex confectis

pronun-

pronuntio quod verissimum: UNIVERSAM SCRIPTURÆ COMPAGEM NON ESSE OBSCURAM.

Tandem quartâ censurâ subeat ea quæstio, quæ inter nos agitatur: & cognoscatur ex sui manifesta inductione. αὐτὸ δείξει γὰρ τὸ πρᾶγμα: & icircco hoc judiciũ aut probabit Antagonista; aut demonstrabit se vacuum hominis vel scientia, vel cõscientia. Inquiremus itaq; sed paucis, in signa, & signata, quæ occurrunt in sacris voluminibus: eorum si pleraq; obvia esse comperiemus; haud dubiè falsum erit, quod contrarium sapientes tamta impudentia deblacterent. Contendit apud Platonem Socrates contra Hermogenem, τὴν ὀρθότητα τῶν ῥημάτων sibi constare τῇ φύσει: hoc est: Rebus sua imposita esse nomina ex suæ naturæ conditione. Contrà asseverat Aristoteles ex Hermogenis sententia, res acquisiisse suas appellationes κατὰ συνθήκην, id est, homines vocasse τὰ πράγματα, prout suasit ipsorum arbitrium. Optarem tamtorum virorum concordiam. Et est sanè aliqua, si quis acutius rem æstimet. Distinguenda quippe vocum varietas; & comperietur, duplices esse eas, alias πρώτας, alias δευτέρας. Πρῶται fuerint, quæ nec ex aliis componuntur, nec ab aliis descendunt: δεύτεραι autem, quæ vel compositæ, vel aliunde ducunt originem. Illę rebus sine ulla ratione sunt attextæ: & tamtum consensio loquentium effecit, ut hæc vel illa res hoc genere appellationis notaretur. Do exemplum: τὸ אדם, Hebręis significat: Rubuit, Rutilavit: cur dissyllabum hoc actui rubendi attribuatur; ego nescio: nec facile quis sciet, nisi cujus sapientia omnium scientias absorpsit. At hæ ἐκ συνθήκης quidem ortum etjam habent suum: sed tamen ita sunt conformatæ: ut, si respicias ad voces, quæ eas pepererunt, prorsus respondeant rebus κατὰ φύσιν: nam naturales quodammodo sunt factæ, postquam consensum est inter loquentes. Et paradeigma sit hoc: vox אדם hominem denotat: non frustrà. fluit enim hoc nomen à superiori illo verbo. Verbum autem significabat, Rubere: convenienter igitur hinc nomen homo apud Hebræos ducit, cujus corpus è terra, quæ rubebat, erat confectum. Eadem est & aliorum ratio. μέλος, Græcis est membrum: at cur? Et ἔδω, est edo: caussam ignoro. Combina has duas voces, & prodibit, ὁ μελεδών: quod verbum *curam* sonat. heîc ratio: sic enim est dictum, ὅτι ἔδῃ τὰ μέλη: absumat membra. quod huic furiæ competere, sensit is, quem cura vel semel ob aliquam rem tetigit. Hoc jam mihi huic commentationi accommoda; lucebit res. Quæcunque signa in sacra scriptura occur-

Probatio rei ipsius.

In Cratyl.

De interpr. c. 2.

runt, ea vel sunt σαφῆ, vel ἄδηλα: pauca excipe, quorum scientia usque adeò necessaria non est. Utra sint: salva res. Si σαφῆ fuerint illa; nota fuerint. nota enim est tibi ἡ συνθήκη, illa conventio, quæ inter homines eiusdem linguæ ob hanc vel illam vocem intercedit: quia nullus liber biblicus exaratus est ea lingua, quam nemo vulgo loqueretur. At verò si ἄδηλα sint ea, quæ auribus suis se ingerent è sacris chartis illis; etjam res ἐν φανερῷ: duplici enim modo hæc perdiscis. quid significent, suggeret συνθήκη, quæ ut omnibus ejus linguæ; ita & tibi certam rem tuo effinget animo. erudiet & te præcise ἡ φύσις, quam ut promtè introspicere possis; ἡ συνθήκη, τῆς φύσεως illa procreatrix, fideliter docebit: tum quadam jucunditate aspicies, quam propriè τὰ ἄδηλα, ipsis rebus mediantibus tamen, τοῖς σαφέσι applicentur, easque explicent. Quid igitur? hoc nimirum: esse quædam in sacris litteris, quæ ipsa verba manifestè prodant, atque cuivis earum linguam tenenti ultro insinuent: qualia omnia, quæ rationes salutis consequendæ explanant, ut inferior indicabit disquisitio. Quæ dum disputavimus, consentanea proposuimus cùm veritati, tum illis quoque omnibus, qui veritatis sunt studiosi. Ejusmodi Hilarius, quando
De Trinit. l.s. ait: Ex verbis sensum sequamur; ex sensu rationem; & ex ratione veritatem apprehendamus. A quo Hieronymus non dissentit: ait si-
In Ecclesi. c.1 quidem hæc: Non possumus scire sensum, nisi eum per verba discamus. Voles dicere, sensum esse multo sublimiorem, quam horum verborum humilitate possit enuntiari: itaque non statim rem intelligi, ut vel verba intelligantur. Ego verò non nego, esse quædam in Bibliis, quæ ut legentis captum; ita quoque ipsas voces excedant: at illa tamtùm faciunt perfectiorem, si teneantur, non autem exsuunt Christianismo. Deinde si res prorsus attingis nullas, qui dicere mihi audes, te tenere rerum signa? nega mihi, si potes, illa superiora de vocum natura conditioneque; & affirmabo, quod tu. Aut audebis tu confirmare, signa esse sine signatis, verba sine verborum significatis? si ita; abiero equidem à te, qui statuis aliquod σαφές, quod non sit σαφές. At enim in rem veni ipsam: hæc docebit, quod verum. At obtestor: ne neges mentis malignitate, quod bonitate ejusdem perci-
Gen. c.1. v.1 pis. Recito principium τοῦ Bereshith: וְאֵת הָאָרֶץ : בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים אֵת
הַשָּׁמַיִם: & caput τῆς Γενέσεως· Ἐν ἀρχῇ ὁ Θεὸς ἔκτισε καὶ τοὺς οὐρανοὺς, καὶ τὴν γῆν. Verba hæc explicant articulum fidei: & agunt de creatione rerum omnium è nihilo. Tu accerse harum linguarum gnaros, & explicabunt

bunt, quid verba hæc explicent: nempe ajent, ſed uterque ex linguæ ſuæ proprietate, בְּרֵאשִׁית, ἐν ἀρχῇ. Latinis eſſe, In principio. Quære etjam, quid principium? & reſpondebunt, eſſe id, à quo alia ſecundum ſeriem dependent. Addet & בָּרָא, ἔκτισε, ſignificare, Creauit: ipſum autem creare ex nihilo aliquid facere eſſe confirmabunt. Tum verò אֱלֹהִים, θεὸς, idem eſſe, ac Deus. Græcis ſua vox eſt evidens: at Hebræi per ſuam adſtruunt, notari judicem κατ' ἐξοχήν. Sequitur אֵת הַשָּׁמַיִם, τοὺς οὐρανούς: quod Latio, Cæli. Definierint & cæli corpus, quod primum movetur omnium. Denique indicabunt: וְאֵת הָאָרֶץ, καὶ τὴν γῆν, eſſe hoc, Et terram. Ea autem quid ſit; non ignorabunt; cum calcent eam pedibus. Talpa videat, eos nolle videre, qui ſe hæc videre negant. Tantùm affer ad ſacræ ſcripturæ lectionem ejusdem linguam: & intellexeris, quæ ſpiritus Deus per Moſen his verbis ſit effatus. videris nempè τὸ ὅτι, ita eſſe, hoc eſt, quæ ſint ea quæ heic promulgentur. Interim non ego nego, divinioris eſſe validiorisque inſtitutionis, ut credamus τὸ διότι: quamobrem res ſit talis: id eſt, ut introſpiciamus cauſſam, quæ id, quod dicitur, nobis verum eſſe perſuadeat. Hanc enim ſpiritus ſanctus aperit: & diuina ſacræ ſcripturæ concordia. Ergo licet hoc Moſis pronunciatum intelligant, tamen, ut verum, non accipiunt nimium ſapientes, nimium deſipientes: nimium ſapientes; qui credere non poſſunt, DEUM infinitis à ſeculis ocioſum, tandem ad mundum fabricandum deſcendiſſe (qua in tribu eſt vafer Simplicius) nimium diſipientes; qui ſomniant, ex eo, quod prorſus non eſt, nihil quoque poſſe fieri, etjam Deo volente, ut probabit inferius tibi quidam ex Aſia. Atqui qui inter Chriſtianos cum iſtis belluis conſentiens de veritate ſacræ ſcripturæ dubitat, is Chriſtianus non eſt. Inter Chriſtianos ergò ſupervacua eſt hæc quæſtio: uſque adeò quidem, ut qui de ſcripturæ aſſeveratis ambigat, cum eo ex eadem nec poſſit, nec debeat diſputari.

Digrediar ad ſecundum ſacrorum effatorum genus, ſi prius reſpondeam ad turpe quoddam gloſſemation, quod putant eſſe tanti roboris, ut elevet omnium ſuprà diſputatorum fidem. Diſpellam ego hanc nubem: & ciſpellam in Rhodum: cujus incolis tamdiu faceſſat negocium, quamdiu patietur regionis ingenium. Et rectorium eſt hoc: Sacram ſcripturam eſſe claram, quando ab Eccleſia explicetur. Ita tu, credule Piſtori; ſed non ex tuis: ita Stapletonus: ita Bellarminus, quorum vel ſuſpicis crepitus. Facias oportet: nam me-

liores certè non eruut tibi. Interim tu es omnia: ex te quoque omnia. Rideo te: an injuriâ? Saxa semper crepant in gutture, quæ tandem resolvuntur in Epicuri principia. Nostin' ea? at quære ex Thomisticis atomistis: aliàs enim tua sunt è mendicato. Ergò dic, quid dicat acumen tuum: numquid hoc, Sacram scripturam esse claram, si Ecclesia eam interpretetur? Quò ibo? quò cogor? nihil habeo, quod excipiam: nisi unicum, quod Multiplex. Bone vir, quam mihi heîc nominas Ecclesiam? Catholicam inquies. Qui es, qui loqueris · Ecclesiæ Romanæ membrum. Primum hoc: si verum esset enunciatum tuum, nondum procederes. dicis enim, te esse membrum Ecclesiæ Romanæ. primum ergo mihi proba, Ecclesiam Romanam (ut hodie quidem habet) esse Catholicam illam Ecclesiam. non probasti: non probabis. Deinde ais, te esse filium Romæ. pars itaque mihi es; non judex: quin potius mecum sententiam alterius exspecta, qui & à mea & tua Ecclesia est distinctus. Is autem Papa non est: ei enim intentatur lis. quocirca quoties se Ecclesiam fovere dicit; toties audio judicem quem, qui & reus est. Præterea & hoc obversatur: nimis pauci utique erunt, quibus sacræ litteræ erunt claræ. Divido Papismum venusta membrorum appellatione, in clericales, & sæculares. Laica cohors manifestè excluditur: illi enim, ut & Jehudaicæ synagogæ, ita occinitur: [Si dixerit tibi sacerdos, quòd dextra sit sinistra; & sinistra, dextra: talis sententia est tenenda.] Negate Jesu-vitantes. Ad Lyrani autem lyram non facit: cujus hoc: [Sententia nullius hominis, cujuscunque vel auctoritatis, est tenenda, si contineat manifeste falsitatem vel errorem.] Disseco & spiritualitatem Romanam in examen, & summum examinis regem. Examen cadit, si severius examinetur. illud enim, si absit ab alveari purpureus Rex, nullũ habetur, potest errare, potest facile peregrinari fide. Quocirca ut Laici, ita nec rasura scripturam interpretabitur. Restiterit Papa servus ille, qui Dominos Dominorum etjam pedibus calcat. Interrogo omnes, quotquot hæc estis lecturi, utrum credam, DEI majestatem, quæ omnibus velit consultum, juxtà velle, ut uni, eique interdum nec bono nec Christiano, scriptura tamtum sit clara. Et habe, quod numquam dedero: Papa esto regula fidei. dicas autem: utrum admirandus, vel quia est talis ex se, vel quia fit aliunde. Ex se? ergò jam inter Christianos αὐτὸς ἔφα. dimitte: nauseo. At aliunde. ergo vnde? ex singulari (inquies forsan) DEI favore. unde probas mihi eum? proba; jubeo:

Lyranus: in Deut.c.17.
Leges Iesuit.

jubeo: assurge; exspecto. Jesu bone! quot Papæ fuerunt hæretici, quot magi, quot sacrilegi, quot nebulones. illis si solis clara fuit sacra scriptura; ausim pronuntiare: totum Christianum orbem sæpius delirasse, sæpius errasse: quod stultum, & blasphemum. Pugnabo propiús: excipe, ô nulle, plagam. Etjam hoc dicam apertè: & dicam bonorum omnium cum venia. Ecquod autem? ut pertexam, quod volo; primum quæro: Ecclesia qua re externa (interna enim in hoc certamine non habuerit locum) primariò erudiatur? reponent caco-Catholici: Traditione superiorum: nam aliâs certè illis relictum nihil. Itane vero? si verum hoc est; postulo equidem, quod omnium est æquissimum, ut sacri canonis libri expungantur; & canonis auctoritatem accipiant illorum traditiones. Et dixerim hoc injuriâ? traditiones nos docuerint primó: quocirca aptiores fuerint ad docendum quoque. Quin & anathema dicam, (quod absit in æternum, ut dicam) sanctæ vetustati, quæ dignitatem traditionum sit aspernata, & prætulerit illis scripturam sacram, quæ tamtum secundo docet, id est, postquam à traditionibus suum lumen accepit. Amplius te mihi præbe. absurdum ingens, dum de traditionibus concionaris: ubi vis, scripturam per traditionem explicari; statuis non scripta scriptorum in sacris voluminibus regulam: quæ & hanc superingerunt sententiam sequentem: Instabiles humani ingenii discursus immutabilis veritatis, quæ in sacris litteris, mensuram statui. Majores aliter: & inter eos Origenes ita: [Quæ in divinis litteris scripta non sunt; tractare debemus per ea, quæ scripta sunt.] Posteri præposteri totum inverterunt: expressè scripta per non scripta explicant. Ἰδὸ φιλοπάτορες: ecce antiquarii. Nondum cesso, ut superiora illa prolixius non urgeam; respondeat Mirio, quibus in monumentis traditiones lucem inferentes divinis litteris prostent leganturque? nihil præter æquitatem; nihil præter modestiam. Patres laudabunt. At Patres sua omnia ad scripturam referunt: hæreticum clamant, quod ab ipsa dissidet. Omitte hoc: dic potius, qui sit inter Patres, cui cum omnibus conveniat Patribus: qui sit, qui à seipso interdum non dissentiat: qui sit, quem velint per omnia defendere: qui sit, qui dixerit, aliquid humani à se esse alienum. Quamta regula! quamta certitudo! De Conciliis ferè idem judicium. ecce hoc: dicatur mihi, an Italica Ecclesia amplectatur omnia concilia? an nulla? an quædam? non abjicient omnia: secus, committerent, de quo nos falsò accusant. Omnia non osculabun-

Origen. in Matth. c. 23

tur: alioquin essent & osculaturi infinitas ferè hæreses, quæ in aliquibus Synhodis sunt sancitæ. Ergo quædam tamtum probabunt: quod nos quoque facimus. At dum quædam recipiunt; numquid non inter ea discernunt? si discernunt; sine regula ne agunt? Quod si itaque regula quadam judicentur; ipsa regula esse nequeunt. Igitur detur alia regula: detur, inquam. Et solveris tuam, fidem, quæ periclitatur. Insuper si vel alicubi essent in scriptis repositæ: tamen excludam eas à dignitate canonis, eadem via, qua tua factio sacras litteras annititur expugnare. Ait alicubi aliquis inter tuos non incelebris: S. paginam esse obscuram, quia variè à variis explicetur. Variè explicari poterunt & traditiones: & da quod non possim eludere, si tuum ingenium velim imitari: quod numquam (Deo juro! Deum obtestor!) sum imitaturus. Obscuræ itaque fuerint & traditiones quoque. nihil itaque nobis interpretabuntur. ergo nihil habuerint certi: ergo non erunt regula. At enim aliter res habet cum scriptura, cujus propriè unica est mens: quæ tam facilè non potest obliterari; utut ludat hominum nequitia. De hac re autem fusius infrà. Denique hoc volo quæsitum, cur traditiones sint urgendæ? quod est: quid sit tandem illud quod traditionibus suam afferat auctoritatem? hoc efferent: eas propterea magni fieri, quia per manus majorum nobis sunt traditæ. Nam si dicere velit meus Pistor, ideo suspici, quia veræ; habeat hoc, examinandam nempè esse hanc earum veritatem. Non abnuat. Iniqua lex, quæ non patitur, se examinari. Si examinandæ; examinandæ sunt per regulam. si ita; ipsæ non sunt regula. Sed habeant, quod traditiones sint suspiciendæ, quia per manus Patrum acceptæ. Nihil inde sentient lucri: excipio enim, etjam Jehudæos suas habere traditiones. Moses quippe (de Thalmudistarum sententia) auctor earum statuitur: unde conficiunt catenam quamdam, nominatis intermediorum nominibus, donec res desinat in Hillel. Vis ne jam mihi dicere, eas quoque esse veras? Non voles. placet adhuc nomen Christianum. Atqui fidelior videtur Jehudæorum traditio propter successionem: nihilominus tamen est falsa. quî veriores ergo tuas traditiones possum statuere, cum inferiores Jehudaicis traditionibus agnoscere cogaris? Atqui quæ per multa induximus, ea demonstrarunt, Ecclesiam traditionibus non posse primo erudiri: restat igitur sola scriptura, qua instituí illa potest. quocirca aut Ecclesia prorsus per externa non eruditur: aut eruditur per scripturam:

pturam: quorum illud ut abominamur; ita hoc Christianè amplectimur. Si hoc; cedit nobis, quod maximè cupiebamus conficere, non verum esse semper, quòd S. charta non intelligatur, nisi per Ecclesiam explicetur: cum ipsa veritatem edoceatur καὶ ἀμέσως per Scripturam divinam.

Egi humanitùs. Rationibus enim rei inhæsi; sed ita, ut ex Dei veritatem in Scripturâ expressam, haberent fundamentum. Disce Pistorii idem & alio modo, ut undique fias certus. Descende mihi ad infernum, & audi quid gehennæ titiones tibi obloquantur. Illorum pessimi si Scripturam intellexerunt; an negabis, aliquid esse in Scripturâ, quod à quovis possit intelligi? Familiariter colloquere cum Amelio, Philosopho ethnico: & repetet amicitiæ causâ, quæ alicubi scriptum reliquit; itaque sonant: Καὶ οὗτος ἄρ' ἦν ὁ λόγος καθ' ὃν ἀεὶ ὄντα τὰ γινόμενα ἐγένετο, ὡς ἂν καὶ Ἡράκλειτος ἀξιώσειεν· καὶ νὴ Δία ὃν ὁ βάρβαρος ἀξιοῖ ἐν τῇ ἀρχῆς τάξει τε, καὶ ἀταξίᾳ καθεστηκότα πρὸς θεὸν εἶναι, καὶ θεὸν εἶναι, δι' οὗ πάντα ἁπλῶς γεγενῆσθαι, ἐν ᾧ γενόμενον ζῶν, καὶ ζωὴν, καὶ ὂν πεφυκέναι, καὶ εἰς τὰ σώματα πίπτειν, καὶ σάρκα ἐνδυσάμενον φαντάζεσθαι ἄνθρωπον. Recensui fideliter, fideliter interpretabor. [Et is certè erat sermo, per quem, quæ sunt, facta sunt; ut & Heracleitus est arbitratus: & per Jovem, quem Barbarus existimat in principii & ordine, & confusione exsistentem fuisse apud Deum, & Deum esse; per quem omnia simpliciter sunt facta, in quo quod factum, & vivum, & vita fuit, quique lapsus in corpus est, & carne indutâ homo apparuit.] Quid agit? Christi Deitatem nobis explicat, & exponit juxtà ingenuè τὴν Ἰῦ αὐτοῦ ἐνσάρκωσιν. Legit hæc in Johãne, sublimi aquilâ, Christi alite; quod nec reticet quoq;, cum barbarum ipsum appellat, & verba adeò ejus usurpat. Tum Galenus, ubi tecum expostulauerit, tibi insusurrabit quod apud eum legisti, si bonus fuisti medicus. hoc tale: οὐ γὰρ δὴ τὸ βουληθῆναι τοιαύτας γενέσθαι, μόνον ἦν αὐταρκές. οὐδὲ γὰρ εἰ τὴν πέτραν ἐξαίφνης ἐθέλησεν ἄνθρωπον ποιῆσαι, δυνατὸν αὐτῷ. καὶ τοῦτ' ἐστὶ, καθ' ὃ τῆς Μωσέως δόξης, ἥ θ' ἡμετέρα, καὶ Πλάτωνος, καὶ ἡ τῶν ἄλλων παρ' Ἕλλησιν ὀρθῶς μεταχειρισαμένων τοὺς περὶ φύσεως λόγους διαφέρει. Τῷ μὲν γὰρ ἀρκεῖ βουληθῆναι τὸν θεὸν κοσμῆσαι τὴν ὕλην, ἡ δ' εὐθὺς κεκόσμηται· πάντα γὰρ δυνατὰ τῷ θεῷ νομίζει, εἰ τὴν τέφραν ἵππον ἢ βοῦν ἐθέλει ποιεῖν. quæ talia: [Non utique satis est, velle, ut ejusmodi fiant: neque si ex petrâ hominem facere velit, continuò id potest; in quo Mosis opinio, & nostra, Platonis, & aliorum inter Græcos, naturę rationes rectè exponentium, differt. Ei enim satis est, si Deus exornare velit materiam, quod jam sit ornata: existimat enim Deum omnia posse, etjamsi cinerem equum aut bovem

Amelius περὶ λογ.

De usu part. l. 12. c. 14.

velit efficere. Hæc impiè Medicorum Deus: unde tamen hoc bonū, Mosen ab ipso lectum & intellectum quoque fuisse; quando agitur περὶ κοσμογονίας. Ecclesiæné beneficium illos adjuvit? dic mihi per Christum. Atqui in Ecclesiâ non fuerunt: pagani quippe. Nec ipsis hoc explicatum per Ecclesiam: quia Ecclesiæ nullum habuerunt fidem. Restat itaque, eos sacros adiisse fontes; vel potius araneorum instar, virus ex saluberrimis hausisse floribus. Jam mecum subi tecta beatorum cælitum. homines audiemus τοὺς τὴν γῆν ὑπερεξιώσαντας, ut Græci nostri temporis appellant eos. Ex his quæram ego, tu audi; utrum aliquid sit in Scripturâ, quod sine explicatione intelligi possit. Adii jam illos spe: & re aliquando ipsis associabor: tu sequere, si potes. At numquam hoc poteris; nisi denuò dixeris Ecclesiæ: *Ego non sum ego.* At respondent, quod facit cum eo quod dico. quid respondeant, dicam soli; ne erubescas. Justini Martyris justa hæc est oratio, spernenda à nullis qui sunt justi, qua dicit: προσέχετε οἷς μέλλω ἀναμιμνήσκειν ἀπὸ τῶν ἁγίων γραφῶν, οὐδὲ ἐξηγηθῆναι δεομένων, ἀλλὰ μόνον ἀκουσθῆναι. [Attendite iis, quæ volo ex sacris commemorare Scripturis; quæ non indigent, UT EXPLICENTUR; SED UT AUDIANTUR.] Et vides? quædam sunt tàm evidentia, ut explicatio sit supervacua. Quod accipiendum de eo genere locorum, quod explicamus. nam de singulis Scripturæ locis hoc posse intelligi, nemo contendet. Quid si tibi dicam, quid ὁ χρυσορρήμων dixerit; num irascére vel illi vel mihi? Sanè ille hoc modo: [Apostoli, ac Prophetæ omnia contrà (ac Philosophi) fecerunt: manifesta claraque, quæ prodiderunt, exposuerunt omnibus, veluti communes orbis doctores: ut PER SE quisque discere possit ea, quæ dicuntur, E SOLA LECTIONE.] Sub lectione autem & auditionem comprehendit: quemadmodum suprà per auditionem & lectio insinuabatur. Spiritus enim sanctus tam per illam, quàm per hanc est efficax, & dociles de DEI voluntate erudit. Amplius & Cyrillus tuæ diffidentiæ dominetur; insignis enim est & propter pietatem, & gravitatem: [Difficilia sublimiaque themata etsi brevi tempore nequeant exquisitiùs intelligi; in longis tamen temporibus à studiosis percipiuntur] Quæ verò facilia sunt cognitu; ea SINE LABORE statim QVUM AUDIAMUS, consequimur. Nota mihi: *sine labore:* ergo vacat ipsa explicatio. *cum audimus:* ergo antequam explicantur. Quo modo exploditur, quod de transmarinâ interpretatione affertur. Sed gravius non faciam, cum ita vel nequeas sustinere. De-

In Dialog. cont. Tryph.

Hom. 3. De Lazaro.

In Ioch. l. 9. c. 37.

re. Denique & Gregorius hoc: cui attendatur (somnum sanè hic vir possit excutere nostris Dormiliis, qui sapiunt in solo Tyberino Haruspice) [Divinus sermo sicut mysteriis prudẽtes exercet: sic plerumque IN SUPERFICIE simplices refovet. Habet IN PUBLICO, unde PARVULOS nutriat; servat in secreto, unde mentes sublimium in admiratione suspendat.] Certè talem esse oportuit Scripturam. Si talis, qualem faciunt scripturifugæ; nescio ego, quî DEUS salvus possit præstari à crimine τῆς προσωποληψίας, ut qui concedat uni, quod omnibus salvandis debetur. *Gregor. ad Leand.*

Quin immò Spiritum sanctum audi ipsum; qui tam perspicuè in sacrâ paginâ concionatur, ut magis dilucidè loqui vix vellet, si è cælo te compellaret. Festus quis erat, cujus meminerunt Acta Apostolica? Ethnicus, idiota. At enim is intellexit, quæ à Paullo dicebantur: tametsi credere eadem noluit. Legis hæc manifestis verbis: [Quæstiones quasdam de suâ superstitione habebant adversus eum: & de quodam JESU DEFUNCTO, QUEM AFFIRMAT PAULLUS VIVERE.] At eadem videmus scripta à Paullo, quę Festo erat loquutus: nisi quis dicere audeat, faciliora aliaque dixisse eum, quàm scripserit; quod foret Apostatæ, non Apostoli: ut ait B. Tertullianus. Jehudæi quoque omnium pervicacissimi intelligebant, quæ Christus de suâ Deitate disputabat; quod tamen & verbis & verberibus moliebantur refellere. Nempe hi ita ajunt apud Jochannem: [Ob bonum opus non lapidamus te; sed ob blasphemiam: & quia tu homo cum sis, FACIS TEIPSUM DEUM.] Quid exspectas amplius? quod Augustinus in hunc locũ dicit? [Ecce Judæi intellexerunt; quod non intelligunt Arriani.] Atq; usurpabo in te: Ecce Jehudæi intellexerunt, quod non intelligunt Papistæ. Pudeat satanam tantæ impudentiæ & stoliditatis. Verùm heîc caput cõcludam hoc: fui prolixior, ut essem, fuit necessum. firmum enim fuerat ponendum fundamentum. Brevioribus agam in sequentibus: sic tamen; ut brevitas non obstet claritati. πᾶν τὸ βραχὺ καλόν: ait ille: cui non immeritò possit subdi; εἰ σαφές. Sed satis.

Act. Apost. c.23.v.19. — *Tertull.* — *Ioch. c. 10. v.33.* — *Augustin.*

CAP. III.

De secundo sacrosanctorum effatorum genere: quod σεμνόν.

PRæclarè sanè grande os Pindari Poëtæ; quando ad commendandam sapientiam assurgit: nam cum dicat: οὐκ ἄλλας ἰδεῖν ἤδη ἀστέρα τερπνὸν *Olymp. od. 8.*

Aliæ viç aliis transitu sunt faciliores: annectit &, quod omnium verissimum, & veracibus maximè exoptandum: *Ibidem.* Τὸ δὲ φυᾷ, κράτιστον ἅπαν [quod vero naturâ est; optimum omne.] Dixerit itaque sapiens vir, eâ esse eundum inter docendum viâ, quâ natura, liquido prævia, nos ducit. Ego si non semper illi insisto: æmulor tamē eamdem assiduè. Studium hoc meum ex eo cognosce, quod disceptationi huic exordium voluerim à clarissimis maximéque perspicuis; & jam descendam ad id, quod ab intelligentiâ aliquamtò remotior est. Sed tamen & hoc, tametsi evidentiâ cedit priori illi, tamen adhuc illustrius mētis nostræ oculis, quàm duo illa posteriora, de quibus deinceps agendum. Rationem tibi reddidi loci. Ad rem accedo ipsam. Proponam hoc capite secundum genus eloquiorum divinorum; quod appello Τὸ σεμνόν: sublimiùs namque incedit illud, sublimioribus quippè propositum verbis. Finio eo: quòd habeat SCRIPTURÆ EFFATUM, CUIUS SIGNATA IN APERTO, AT SIGNA ALIQVAMTÒ SUBLIMIORA. Enimverò vereor, ut legēdo statim intelligi possit, quod ego scribens sentio. ut intelligar, allaborandum est. Dices mihi, aut hæc, aut superiora non posse stare: cum superius sit affirmatum, per verba in rerum cognitionem nos provehi; heic asseveretur, res esse posse manifestas, tametsi verba aliquo modo nos fugiāt. Utrumq; inquam ego verum; ἓν γὰρ ἀμφοῖν. Res sanè hujus generis sunt claræ; & ex signis perceptæ: nullâ re enim docemur manifestius quàm verbis. At non nobis notæ effectæ sunt ex illis verbis, quibus hoc genus locorum constat: sed ex locorum genere, de quo ante explicavimus. Illius signa exposuêre res; res illæ congruunt cum rebus secundi generis: quocirca per eas illustrantur, nihil obstante verborum sublimitate, quibus consignatæ nobis leguntur. Quocirca fieri sanè potest, ut sententiam teneamus probè Spiritus sancti; & interim tamen signorum vel unum vel aliqua nos fugiant. At vis me agere simplicius; immò familiariter tecum agam. Habemúsne paradeigma, quo rei huic aliquid detur lucis? Habemus plurima. cape hoc, quod regius Citharœdus reliquit, *Psal.19.v.4* Psalm. 19. [In universam terram exivit regula eorum: & ad extremitatem terræ verba eorum.] Quorum regula? quorum verba? cælorum. Ergò de cæli orbibus intelligam? nempè si *Rom.c.10. v.18.* errare placet. Apostolus enim ad Romanos suos perscribens, Apostolis hoc totum tribuit. Res ergo jam manifesta. At jam aliquid difficultatis videtur suboriri, quando cogitabitur, cur signa hæc his signatis

gnatis attribuantur: verbi caussa, cur Apostoli vocentur cæli? cur dicantur perreptâsse universum terrarum orbem? & alia: ut, cur Paullus dicat, Sonum exiisse; & Psaltes, regulam? quæ omitto, brevitate monente. Et aliud. Psalm. 45. [Pulcer es præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis.] Hoc quid? de quo? Totum hunc psalmum Synagoga Jehudaica existimat Epithalamiũ esse seu carmẽ nuptiale, compositum Solomoni sponso, & Filiæ Pharaonis sponsæ. Rationem habẽt: quia præstruatur: [Opera mea ad Regem spectant.] Nos negamus, & de Christo exponimus, qui sanè sit Rex, atque adeò Rex regum: ratio assumitur ex sequentibus; quòd ipsi quoque dicatur: Benedixit tibi DEUS in æternum. Accipisne hoc de Solomone? & subjungatur: Unxit te, ô DEUS, DEUS tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Nihil tale de Solomone potest dici, nisi falsò. Res sic est plana; omnes fatemur. Interim tamen qui huc solum oculos convertit suos, quærere possit: cur ipsi adscribatur vox Pulcri? cur Labia ejus dicantur gratiosa? illud potest cognoscere ex Apostolo: [Qui peccatum nõ fecerat; nec est inventus dolus in ore ejus.] Hoc autem ex Euangelista: [Docebat Christus cum auctoritate, & nõ ut Scribę.] Immò familiarissimè denuò, si prius dixerim hoc genus locorum tãtum tenere eum, cui jam verum per genus locorum elementare est ostensum: verum hoc tametsi vel omnibus prostat (ut fusè est commonstratum) ab omnibus tamen non cognoscitur, quia ab omnibus non legitur, cum legendum omninò esset. quocirca tam latè haud patuerit, ac superius illud; ita ut, quemadmodum elementare genus ad omnes attinebat homines; ita hoc, id est, sublime referri posse videatur ad eos quos DEUS in Ecclesiâ suâ jam aliquantum extulit. Jam redeo. Quoties hac de re cogito, veritas me solet commonere: accidere & rei nũmarię, quod videmus fieri in Scripturę genere sublimi. Cudat Divus Rudolphus monetãm (ut cudit) hæc perveniat ad hominis simplicioris manus (ut etiã pervenire potest) fiet heîc, ut nec aquilam imperii agnoscat, nec inscriptionem ejus intelligat. Nihilominus tamen eam probam esse existimat, & ut probâ utitur. Frustrà spuriã esse eam ei conabere persuadere ex eo, quòd ignoret, cujus effigies, quę inscriptio. quin respondebit idem graviter & simpliciter, probum esse hunc nummum, quòd voce commendetur omnium: ex eo, quia facilis sit ejus permutatio; tum quod sit & justæ materiæ & justi ponderis. Ad eundem modum censere de sublimi

Psal. 45. v. 2
Ibidem v. 1.
v. 2.
v. 7.
Matth. c. 7. v. 29.

Scripturæ dictione. Rodolphus DEUM nobis adumbret: monete Scripturam. Jam ut quidam de bonitate nummi judicant non ex inscriptione nec ex ejusdem effigie, sed ex monitu aliorum, & nummi præstantiâ ipsius; ita & nos Scripturæ ingenium τὸ σημεῖον non judicamus è singulis signis quibus descriptum nobis exhibetur, sed è perspicuo dictorũ genere, quod nomine τοῦ πνεύματος suprà proposuimus, uti & ex caussis rei ipsius, id est, ex rerum ipsarũ contextu: quod fieri debere pręcisè, scitè admonuit B. Hilarius, quem quidẽ & alios eâ de re copiosius inferius pertractandâ, & audiemus, & admirabimur.

Ita videmur defuncti explicandi officio: quod explevimus tum inducendo, tum illustrando. At quid si Scriptura nusquam asserat, se esse talem, qualem ego heic facio: non multum hoc officeret, si res ipsa ex eâ posset haberi: cum sciamus, aliqua in sanctis chartis haberi, tametsi verbis perspicuis non sint expressa. At enim Paullus hoc intelligit, aut nescio, quid velit; quando dicit: [Sapientiam loquimur inter perfectos.] Tenebras enim sibi quærebant, qui garriebant nõ minus impiè quàm stolidè, Apostolos quædam scripsisse, & quædam ab his diversissima vivâ voce tradidisse: ut de Valentinianis B. Eirenæus. & huc detorquebant hunc Paulli locum, qui tam facit pro illis, quam pro nostris Papicis, qui retinent dogma hoc, & dogmatis probationem. Certè ut verum hoc: ita & ab Antiquitate sagaci animadversum fuit. hinc est, quod candidus dicit Cyrillus: Salvatorem modò ænigmaticè, modò dilucidè, atque apertè eandem rem Iehudæis proposuisse, ut excusari nequeant, si resilierint. Et Ambrosii est hoc: quod in hoc Scripturę genere omninò verum [Non una, inquit ille, tantum figura; sed multiplex in Scripturis divinis esse consvevit: ut unus sermo plures species comprehendat.] Addam & hoc quoq; sanctum Apostolum genus illud Scripturæ subtile innuisse, quando scripsit: [Qui non accedit ei, quæ secundum pietatem est; doctrinæ; is turget, nihil sciens, sed insaniens circa quæstiones, καὶ λογομαχίας, pugnam illam de verbis.] Nimirum qui relictâ mente σημείων χωρῶν de vocularum valore philosophatur, is fit obnoxius vitio, quod Paullus à Timotheo vult esse alienum. Ita & Patres sensêre: quos valde libenter audimus, & utimur eorum explicatione, quotiescunque voce Euangelismi dirigitur. Augustinum habeo, qui dicit: [Quando de re constat, NON OPUS EST CERTARE DE NOMINE.] Quid illustrius? Certat tamen cum hoc Gregorii enunciatum, quod etjam

1. Cor. c. 2. v. 6.

Eirenæus Adv. Hær. l. 3. c. 2. G. L.

Cyrillus in Iochan. l. 4. c. 11.

Ambros. in Luc. c. 17.

1. Timoth. c. 6. v. 4.

August. Ad Hieron. de an. orig. l. 1. c. 8.

est

est annotandum, & tale: [Inter cætera Propheteiæ miracula, hoc quoqne mirãdum habent libri Prophetarum, quod sicut in eis Verbis Res; ITA NONNUMQUAM VERBA REBUS EXPONUNTUR.] Immò & alii assentiuntur, qui cum idem dicant quod hi; notari non possunt: ut Origen. cujus dicti est initium: Cum Scripturæ testimonis, &c. Et Ambrosius, hoc principio In divinis Scripturis, &c. Iterum Augustinus, & id quidem incipit: Non est alia caussa, &c. Denique & D. Lutherus, ubi ita: Res ipsæ sunt in luce, &c. His atq; tantis constiterit, verum esse, quod de secundo sacrosanctorum locorum genere erat asseveratum: & ita qui accuratâ simplicitate gaudet, facillimè fuerit contentus jam mihi disputatis.

Sup Epist. ad Rom. c. 5.
In Luc. c. 8.
De verb. Dom. ser. 11.
Cont. Eras. de serv. arb.

Libeat heîc intertexere, cui locus se offert quam aptissimus. Sciri tamen interim volo, propositum iri acroama hoc in gratiam, ac commodum eorum, qui Scripturæ Divinæ attribuunt, quod ipsi summâ æquitatis voce debetur: non ob deterrimorum Hæreticorum respectum, quos scripturarum divinitate tantum affici videmus, quamtum Scripturam ducem sequentes exsecrabili Alchorano, quem conspuunt, sancto sanctæ religionis fervore: ut facerent οἱ βιβλιόμαχοι etjam Scripturæ; si auderent per eos, qui scripturarum telis hos subinde lancinant. Et quidem quod heic prætereundum haud est, est hoc: quæ rationes DEI consilio fuerint obversatæ, quod eo in programmate, unde universum hominum genus vult erudiri, & ad salutem enutriri, relinqui voluerit ejusmodi quædam, quæ ad obtusam humanæ rationis aciem relata, sint grandiora sublimioraque, quàm ut ad primum intuitum liquescant? Atqui necessum, ut contineat se hac in parte, ut rebus arduis in omnibus, hominis ingeniũ: nec quærat, quod ipsum decet minus; quando sciat: non simpliciter esse hæc sublimiora & abstrusiora: quia in lucem emergunt & ipsa, si genus effatorum divinorum elemẽtare illud præsternatur: à quo, ceu prævià quadam face, lumen accipiant. Sed enim si res hæc moderato examine agitetur; nõnulla prodibit caussa, ad quam DEUS collineârit, quando floridius quid sacræ aspserserit chartæ. Et ingenia, quæ abundantiore rivo fœcundantur, sine dubio viderint multa, quæ rem præsentem nobis sint illustratura. Mihi quatuor sunt exhibita, quæ huic generi magis propriè videbantur convenire: illa exscribam, ut videant tam benevoli, quàm malevoli, me nihil transilire eorũ, quibus remotis, scriptionis hujusce aliquis posset exsistere hiatus. Sic

itaque primus finis ad quem mihi Deus videtur contendisse, quãdo quædam in sacris grandiori dictione est effatus, est hic: Ut nimirum, quæ suprà τὰ στοιχειώδη seu elementaria sunt vocitata, magis delicato palato nostro saperent, nosque suavius afficerent sanctâ hac suâ magnificentiâ. Quippè Deo sacræ Scripturæ auctori minimè est obscurum, eam esse humani ingenii perversitatem, ut quod pervulgatum tritumque esse suspicatur, illud ex alto rideat, ipsum scilicet summo in fastigio constitutum. Ergò ut huic malo mederetur, & fastidium hoc mentis nostræ frangeret; viam invenit, quâ, quod dictum est in sanctis Bibliis facilè obvio orationis filo, hoc excellentiori verborum charactere, ceu condimento, nobis prępararet, ac gratum exoptatumq; redderet. Quâ in re nihil videtur aliud mihi facere, quã faciunt οἱ γονεῖς οἱ φιλότεκνοι: cum animadvertunt, liberos suos adversâ cum valetudine conflictantes, rationes reciperandæ sanitatis aversari. Abnuunt pharmacum; tametsi salubre: cum amarum ac triste quid præ se ferre videatur. At Parentes pharmacum istud saccaro conspergunt, mel illinunt: cujus dulcore, quæ visa est, amarities pellatur, & pharmacum ipsum commodius assumi possit. At applica. Deum dic esse Parentem, nos ægrotos liberos, pharmacum simplicem Scripturæ dictionem: saccarum autem, decorum illud, per hoc secundum genus primo illi acquisitum. Consule Augustinum: & dicet, quæ diximus & nos. tale illud: [Multa etjam figuratè dicuntur, ut studiosa mens & quęsitis exerceatur utilius; & uberius lætetur inventis.] Respicit & huc illud ejusdem, quod de Scripturâ profatur: [Qui prorsus non inveniunt, quod quærunt, fame laborant; qui autẽ non quærunt, quia in promtu habent, fastidio sæpè marcescunt.] At finis hic alter: quod Scriptura sacra interdum vocem tollat, ut variè exerceretur is, qui Scripturæ lectioni vacat: & inde retineretur quoq; in tam sancto necessarióque studio. Namque si Dei morem intensius observes; liquidò videbis, placere ei, ut, quos bono aliquo hac in vitâ locupletare vult, non per ocia, sed per negocia pertrahat eò, quò velit. Unde & antiquitatis illa vox, voce omniũ ferè nobilitata: Deum vendere bona sua hominibus nobis; sed non nisi laborum interventu. quod à Menandro profectum, inter homines maneat vigeatque, atque etjam credatur ejusmodi, quod vel maximè verum. Eadem & ipsi cõsuetudo in beneplacito suo promulgando. Nam ut interdum exhibet quid, ad quod requiritur tantum susceptionis labor: perinde

August. De moribus cath. Eccl. l.1.c.17

Idem De Doct. Christian. l.2.c.9

2.

ut hac in vita multa multis præter exſpectationem, divinâ quadam (quod ajunt) virgulâ decernuntur: ita & quędam nobis condonat; ſed tum, quando implorata ipſius ope, induſtriam afferimus ad ſacram hanc ſapientiam cognoſcendam, & quoq; permanemus conſtantes in labore, quem ſancto propoſito ſuſcepimus. Quod ſimiliter nos admonuit ſæpè adhuc nobis nominat⁹, ac ſæpiùs multò deinceps nominandus Auguſtinus. Sic enim is alicubi: [In omni copia ſcripturarum paſcimur, apertis; & exercemur obſcuris.] A quo etjam nec illud ejusdem alienum, quo ait: [Scriptura ſancta quædam veris indagationum ſtudiis relinquit: quæ non ſunt ſuperflua æſtimanda, dum verâ indagatione fuerint patefacta.] Tertius ſuccedit biblicæ ſublimitatis finis: qui quidem in eo conſiſtit, ne ſanctum obiiciatur porcis: vel, (ut ſine allegoria idem) ne divinorum maieſtas, impiorum ſannis proterviæque proſtituatur. Convenit quidem divinæ juſtitiæ, ut, quod ab hominibus credi vult, eisdem illuſtri concione inſinuet: ne habeant, quod olim ad ſe excuſandos prætendant: tamen cum ſemel iterumq;, quid velit, jam expoſuit, nec tamen à reproborum fęce hoc ipſum animaduertat acceptari: ſi lucis hujus tamta perſpicuitate eamdem non amplius dignetur; quis eſt, qui DEUM injuriæ reum queat peragere? Immo ſumma æquitas jubet, ut faciat idipſum: Deus eſt iccirco magnus: ita magnus, ut admirandus vel undiquaq;. Admirabilem hanc ſuam magnitudinem ſi videat pravorum colluviei eſſe deriſui; facit nempè, quod bonorum facere videmus quemlibet: retrahit aliquamtum divina munera, & iis beat hos qui avido pectore hæc eadem & expetunt, & hauriunt. Qua de re notandum, quod Hieronymus aliquo in loco: facit enim huc illud, eſtque hoc: [Prophetæ (inquit diligentiſſimus vir) ideo obſcuri ſunt: quia perſonæ in his plurimum commutantur.] Et apertius alius quidam, quoad preſentia, certè non aſpernandus, qui ita: [Prophetæ loquuti ſunt obſcurè, non invidendo legentibus intelligentiam; ſed præcavendo legentium malitiam.] Tandem & quartus ſubnectatur finis, qui primi illius ſuperioris ferè eſt cōſequens. & hic eſt: Ne ſapientia iſthæc, quæ gemma ac origo cujusvis ejus, quod ſapientia appellari poteſt, homini eam pernoſcenti vileſcat. Quod non tam impiorum, quam piorum ratione, credatur factum: piorum inquam, qui eò poſſent perduci, ut ſcripturam ſacram, ceu rem non uſque adeò precioſam, prædam tineis blattisque fieri paterentur. Cogitetur enim, quàm

Auguſt. in Math. ſerm. 11.

Auguſt. Ad. In opuſc. de Aſſumt. Mar. c. 1.

3.

Hieronym. in Eſa. Com. s. c. 21.

Rup. Abb. ſup. Am. l. 3.

4.

citò languescat hominis ingenium; si quod cognoscit jam, cogitur recognoscere: & quàm prona ad nauseam viam, si quævis mensa cramben. Nimirum ergo DEUS sapiens sapientiam hanc suam variare voluit; non tamen prodigaliter, ut ille in Poëticen Flacciam peccator: sed moderate, sed prudenter: ita videlicet, ut mens in excutiendis Verbi oraculis industria, quemadmodũ ex eis videt hodie quod ignorârat hesternâ luce; ita existimet & sancta quadam suspicione exclamet: Nondum exhausi: scaturigo peremnis: tãtum effunditur, quantũ angustia mentis meæ numq̃ capiet. Inde omne levatur fastidiũ: & dabitur animus ille, qui adeò DEI verbũ negabit vile, ut præ eo omnia, quæ vel magnifica vidẽtur, vilia sit existimaturus. Quo in loco denuò B. Augustinũ laudare possumus: quin veriꝰ loquẽdo B. Augustinus nos cõmendat. ejus hæc, quæ subdo: [Loquutiones actionesq; propheticæ propterea figuratis amictibus obteguntur, ut sensum piè quærentis exerceant, & ne nuda ac prompta vilescant.] Ὁμόφωνον & istud ejusdem Doctoris: [Una eademque res multis & variis similitudinibus insinuatur in sacris litteris: ut varietur ipse dicendi modus propter fastidium.] Et hæ mihi caussæ subesse vidẽtur: ob quas DEUS, qui alibi scripturæ semitam voluit esse planam; alibi sustulit: & effecit, ut heîc admiraremur, quod illheîc palpamus. Quod quidem videbatur addendum: ne essent, qui cavillarentur: DEUM non aliter potuisse loqui; aut cur paullò sublimius loqueretur, nullam habuisse caussam. Quid enim tutum existimem ab his, quibus alias maximè solemne os DEI imperfectionis arguere, eique tenebricosa effata subinde objectare?

August. ad Consent. cont. Mend. c. 10.

Idem, in Psal. 8.

Verùm redeo, vnde ob τὴν συζήτησιν & lectorum meorum studium fueram digressus. Dixi videlicet, antequam illud de caussis sublimitatis Biblicæ interspersi, quid esset genus illud quod aliquam habere δεινότητα suprà asserui. Commodum fuerit, ut penitiùs ejus introspiciamus naturam: fecerit enim hoc plurimum ad medullam hujus scriptionis cognoscendam: quæ quidem, omissis subsequuturis, tam obvium cuivis haud esse queat. Ergo affectiones aliquot expromam hujus generis, quarum beneficio omnia monstrabuntur, quæcunque ad hoc secundum genus τὸ σεμνὸν possunt referri. Atque hæ tametsi in præfixa definitione latuisse affirmari possint: ut certè in ea conclusas fuisse, non negaverim: tamen ex re imbecilliorum videtur esse, ut, quæ nonnisi doctis in definitione apparent, eruantur ex ea, &

clara in luce, atque ob omnium oculos collocentur. Ergo prima affectio generis τοῦ σημειώδους est illa: ut habeat signa figurata, ea nimirum, quæ à nativo ingenio deflexa nonnisi impropriè de rebus, quibus adjunguntur, queant enunciari. Nihil autem interfuerit, utrùm singula signorum in aliquo dicto sint talia: ejusmodi enim interdum in sacris occurrunt, quæ ita affecta sunt, ut nullum eorum propriè possit accipi: an verò quædam in axiomate aliquo scripturæ sacræ reperiantur, quæ proprii non sint usus: ceteris quidem ita habentibus, ut rebus præsentibus vi proprii significatus facilè possint adaptari. At enimverò caligo hæc etjam suis a caussis: etenim compertum, eam Effig. Rhet.
oriri vel ex signis ipsis, vel ex signorum situ: & ipsa signa quidem si aliquam obscuritatem habere videntur, ad varias orationis figuras poterunt referri: varietas tamen hæc si suas digeratur in tribus; in quatuor hisce definet: in Metonymiâ: in Eironeiâ: in Metaphorâ: in D. Schram.
Synecdoche. In Metonymiâ: ut, [effundens hydriam in canalibus:] Genes. 24.
heîc hydria pro aqua. In Eironeiâ: ut, [Deus enim est Baal] quasi diceret, minimè est. In Metaphorâ: ut, [quare fremuerunt gentes.] fremere proprium est fluctuum. In synecdoche: ut [Verbum caro factū est.] Caro ponitur pro integro homine. Multa in his sunt cōprehensa. Varia Metonymia: ut quando materia pro forma ponitur; & cōtrà. 3. Reg. c. 18. Psal. 2. Ioch. 1.
Caussa etjam pro effecto: & contra. Esse ipsum, pro effectione: & contra. Locus pro re locata: & contra. Varia & Eironeia: interdum Eironeia propriè dicta; interdum ἀντίφρασις. Varia Metaphora: cum signum rei in aliquo simile: unde Eicon. Cum aliquò usque producitur, ac continuatur; tum Allegoria. Si signum maius re; est Hyperbole. sin minus; appellatur Tapeinosis. sic varia & Synecdoche: ut, quando genus pro specie ponitur; vel contra. Et quando integrum pro membro; & contrà. Et harum nulla est species, cujus plurima exempla in scripturâ non occurrant: ut agnoscamus vera esse, quæ Ambrosius: [Multiplex figura in divinis scripturis esse consuevit:] Et Ambros. in Luc. c. 18.
hoc vel contestatissimum; quod nihil hujusmodi schematum sive Tropōrum valent prætendere ullis sæculis eloquentiæ magistri, quod non scriptura sacra præcesserit, ut quidem Beda Presbyter. Deinde tenebræ verbis oboriuntur, quando præter nativam collocationem ponuntur, vel quando dirimuntur, quæ oportebat esse connexa. Beda, De Trop. S. script.
Illud cum accidit, quando ea, quæ sequi debent, anteponuntur Idem, Eod
(ut utamur verbis Bedæ) & modò ἡ πρόληψις, ἡ ὑστερολογία modò appel- quoq; in Op.

litatur: ut quando David patientem Messiam adumbrans; [Diviserunt sibi vestimenta mea: & super vestem meam miserunt sortem.] *Psal. 21.* Ὕστερον πρότερον: prius sortiti: deinde diviserunt? Est sanè aliquid obscuri; quod fateor: sed tollitur, si suis sedibus ipsa signa restituantur. At hoc (ad superiora adhuc respicio) fit tum, quando verba, non ut debent, interpunguntur: & de perspicuis perspicuè: ubi orationis series non rectè distinguitur. [Hæretica erat (ait Augustinus) illa distinctio: In principio erat verbum: & verbum erat apud DEUM: & *Ioh. c. 1.* DEUS erat. Verbum hoc erat in principio apud DEUM.] Non enim *August. de doct. Christ. l. 3. c. 23.* vult verbum DEUM confiteri. Unde graviter monet: cum verba propria faciunt ambiguam scripturam, providendum esse, ne male distinxerimus, aut pronuntiaverimus. Ejusmodi quid & Eirenæus observavit in allegationibus Valentinianorum. Lis attinet ad dictum quoddam Paulli: de quo Eirenæus potest consuli. Verumenimverò *2. Cor. c. 4.* ut hanc affectionem adesse cognoscas; audi secundam: quam recipit *Eirenæus. Adve. Hær. l. 3. c. 7.* τῇ χρείᾳ aliorum in bibliis locorum: estque hoc: τὸ σπάνιον scripturæ genus esse tale, ut oppositum ejus frequentiùs occurrat in divinis litteris, quàm sententia illa, quam ipsum propriis verbis subministrat. Habe hoc magis perspicuè, cui non delitiæ brevitas. Si sententiam sublimis hujus generis, quo de modò sermo, cum aliis scripturæ effatis compares: deprehendes illicò, contrariæ sententiæ, quam dant reliqua scripturæ oracula, plura favere, quàm huic, cui unicus tantùm locus, aut certè paucissimi; collati ad adversæ menti suffragantem copiam, sanè assentiuntur. Certum hoc esse debet Christianæ menti: nullam in scripturâ omninò esse repugnantiam. nam si locus *Augustinus.* relinqueretur vel officioso mendacio, ut scitè alicubi Augustinus; labasceret profectò, qui sanè labascet numquam, religionis nostræ suspiciendus Canon. At nihilo seciùs quoque est certum, aliqua occurrere, quæ ferant præ se se μάχην τινα: quam tamen credamus oboriri non à scripturæ contextu, quæ veritas: atque iccirco sibi ubique constat: sed à mentis nostræ hebetudine, quá fit, ut constans scripturæ concordia non à quovis eam per transennā contuente confestim cognoscatur. Ergo inter ἀντιφάσεις, φαινομένας μὲν, μὴ οὔσας δὲ, ita distinguendum, ut quæ inter duas sententias, quæ dissidere videntur, rarior est, & circumsonantium dictorum suffragiis constipata minus, habeatur pro ejusmodi, quæ habeat quidem id, quod manifestum è conclamantibus undique scripturæ vocibus; sed sit enunciata sermonis

genere

genere grandiori. Res hæc infinitis fere posset approbari, ἐξ ἀπορίας. Videtur vacare. Habeatur tamen hoc unicum, cui plurima sunt consimilia. dicit Esaias: [Mortui tui non resurgent.] Favet illis (si proprietati verborum insistes) qui putarunt: animum unà cum corpore interire: & tale, quod impius ille suis his posset prætexere: *Es. c. 16. v. 14.* *Lucret.*

——neq; quisquam expergitus exstat,
Frigida quem semel est vitai pausa sequuta.

Non favet tantæ insaniæ: quod posset fieri palàm ex innumeris oraculis, quæ ex hoc ipso Propheta partim, partim ex reliquis scripturæ canonicæ partibus possent depromi. Vox *mortui* itaque impropria ita fuerit explicanda, ut magnam illam aliorum in scriptura dictorum turbam nō offendat. Mori quis dici potest variis modis: naturaliter, spiritualiter, civiliter, æternùm, calamitate, voluntate: unde eligatur, quod huic loco maximè congruum. Quod autem vera sint, quæ hac de affectione sunt dicta, liquet vel ex Augustino: Repetitio (in scripturâ) confirmatio; ait Pater ille sanctissimus: cui & subscribit Gregorius, quando dicit; Rem semel dictam pro confirmatione replicari. Sed ecce tertia affectio: quæ signa figurata indicat ex eo, quòd res non congruit ad quædam, quæ extra scripturam posita pro certissimis habentur. Est autem ea ejusmodi: Sublimia sacri voluminis profata, si secundum proprium signorum suorum valorem æstimentur, dicere quid nobis videntur, quod æquitati ipsi est adversum. Æquitas isthæc duobus in capitibus consistit: unum est, credendi lex: alterum autem, naturæ dictatum. utrumque videtur violari per id, quod per signa hujus generis ingeritur. Credendi legem ego voco, tesseram illam fidei nostræ communem: quam consuetâ nomenclaturâ solemus appellare symbolum Apostolicum. Verùm eum eo & intelligo omne id, quod legitimâ consequutione ex eodem potest deduci: apices quippè rerum credendarum notati sunt: qui alia deinceps ex se largissimè pariunt. Et symbolum illud esse tale, ut peregrinas sententias à scripturæ locis amoliatur, discimus ex Beato Augustino, qui ita: [Sacramentum symboli, quod accepistis, memoriæque mandatum pro vestrâ salute retinetis, noveritis, hoc esse fidei Catholicæ fundamentum, supra quod ædificium surrexit Ecclesia, constructum manibus Apostolorum & Prophetarum.] At quomodo veritatem vindicet à falsâ sententia, quam verba videntur porrigere; ita habe. Legitur istud apud Apostolum: [Operamini vestram *In Psal. 32.* *Mor. 28. c. 6. 3.* *Ad Catech. l. 3. c. 1.*

salutem cum tremore.] Usurpaverit hoc profanus quis ad defendendum profanum dogma: Semper esse dubitandum de salute. Nihil efficiet: revincetur quippè verbis symboli: Credo remissionem peccatorum: quæ monebunt, aliud sub his verbis latere, quàm is è signis extorquere velit: quo modo tremor non diffidentiam, nescio quam, nobis insinuaverit; sed diligentem curam, quæ sit cuivis de vita æterna consequenda. Alterum caput esse dixi naturæ dictatum, quod aliâs magis nota phrasei lex naturalis solet appellari: & est vis quædam hominum singulis insita de honesto: quam siqua signorum scripturæ proprietas videtur violare; ἐπὶ διάνοιαν in eis explicandis haud dubie fuerit confugiendum: cum ita sit comparatum cum DEO, ut in omnibus sibi constet. at isti in mente de honesto relucentes radii tam sunt à DEO, quàm sacræ scripturæ voces. Qui mea hæc, vel potius ipsius veritatis sensa suo comprobet calculo, est Augustinus: ille Augustinus, qui Antiquitatis Christianæ gemma certè preciosa. is ita:
De doct. Christ l. 3. c. 10. [Si ergo (sancta pagina) flagitium, aut facinus videtur jubere, aut beneficentiam vetare; figurata loquutio est.] Legeris itaque apud Euangelistam: [Si offenderit te oculus tuus, erue eum:] erues ne illicò, & facies te unoculum? non ita: cortex verborum videtur mandare aliquod facinus: oculum eruere, est se aliquo truncare membro: truncare se aliquo membro, est se occidere ἐν τῷ μέρει. Figuratum itaque sermonem agnosce: & per oculum, magistrum quemdam; per eruere, τὸ amovere consentaneè scripturæ sacræ intellige. Ergo siqua scripturæ sententia vel in hoc caput, vel in superius illud, aut etjam, quod solet nonnumquam evenire, hostiliter incurrat in utrumque; tum hanc, statuendum est, esse ex eorum dictorum genere, quæ habent aliquid in verbis sublimitatis. Subducatur jam alia affectio, quæ competat τῷ λόγῳ, τῷ σημείῳ: supersunt enim adhuc aliquæ, quæ etiam, licet strictius, sunt producendæ. Sit hæc: Hujus generis sacra pronuntiata non posse intelligi; nisi jam anteà habeas cognita, quæ superius nomine elementarium sunt proposita explanataque. Ergò primùm pernoscenda sunt elementaria, quæ diximus: his cognitis, & sublimia sese produnt: fiunt enim & ipsa clara; si luce elementarium illorum fuerint illustrata. Quin immò (quod mirum cumprimis est) si lucem elementarium hauserunt, eâque se quasi animarunt, quamtò obscuriora erant signa, quibus continebatur; tamtò vividiorem copiosioremque lucem ex iisdem spargunt, publiceque ostentant. lumina

mina quippè animadvertuntur orationis, figurarum tori, connexionis Venus; quæ omnia rem non ampliùs obscurant, sed planissimam efficiunt, plenissimeque ejus naturam edocent. Atqui dum dixi equidem, non posse intelligi hoc genus pronuntiatorum, nisi elementarium lux prius nobis affulserit; non velim perinde accipi, ac si prorsus intelligeretur à nemine, quid sonarent vel propriè: talia enim si essent; essent ex quarto locorum genere, quod infrà sum propositurus: verùm id tandem est, quod volo, non intelligi ea secundum eam mentem, quam auctor ex his signis intelligi voluit. eam enim si vel lector, vel auditor non assequatur; non dicat, se locum præsentem intelligere: scit namque aliquid tamtum de signis; si propriè sint accepta. at quia rem adhuc ignorat; nec signa, quæ tropis suis constant, ritè ad eam accommodare potest. Detur exemplum, quod est ὁ ὅμηρος τοδλόγου secundum Platonem; quo illustretur; quod hoc disputatur loco. In respõsis Prophetæ Hieremiæ leges hoc; [Vox in excelsis audita est, luctus & fletus Rachel plorantis filios suos, &c.] Heîc si quis interveniat, qui non legit dictum, q; huic est elementare; certè hærebit, & quoque, si ingenuus, palàm de suâ ignorantiâ confitebitur. Contrà confestim intelliget, quid explicet Prophetæ locus, si cognovit sententiam aliquam elementorum, cujus accessione & hic obscurior suam accipiat lucem, nempè illam, quam recensuit Evangelista Matthæus: [Tunc impletum est, quod dictum per Hieremiam Prophetam qui dicit: vox in Rhama audita est, &c.] Quæ omnia patribus vel compertissima fuerunt: atque iccircò & ea disertè prodiderunt. Nempè hinc est illud Hieronymi, quod toties & ab Augustino decantatur: Morem esse scripturarum obscuris manifesta subnectere, & quod prius sub ænigmate dixerint, aperta voce proferre. Et posse perveniri tandem ab homine ad S. scripturæ lucẽ, ipse juxta Augustinus stipulatur, cum ait: [Doctrina legis, & prophetarum amygdalis similis est: qui fructus primo quidem indumento amarus est, sequenti munitur, ac tegitur, tertiò sumentem pascit, & nutrit.]

In Theat.
Hier. c. 31. v. 15.
Matth. c. 2. v. 17.
In Esa. l. 5. c. 19.
De Temp. serm. 99.

Ex quarta hac affectione hæc quincta dependet. at quæ illa? Hujus 5.
generis dicta, si sumantur secundum id quod ex litterá sonant, usque adeò non cum elementaribus effatis non congruere, ut potius ea enervent evertantq;. Quod quis existimare possit, affectionem hanc, de qua agimus modo, esse eamdem cum ea, quam secundo loco docui; secus est. diversæ enim sunt prorsus: cum illa suprà exposita agat

de numero sententiarũ adversantium sublimiori effato; hæc auté rem ipsam tangit. dicit quippe: Universam scripturæ cõpagem pugnare cũ sublimi effato, q̧ secũdum litterã sumatur. Necessum.n. ut fateamur, quod discimus, quotiens scripturam S. evolvimus, dictum hoc ingerere aliquid novi. at de novitate in religione trepidet, q̧cunq; religiosus. Novum heîc intellectum volo, non quod insuetum consuetudini, quam errare nimis sanè sæpè contingit; sed quod non habet sacer ille codex perspicuis propriisque verbis, aut quod ex eodem manifesta evidentiq; conclusione non potest confici. Aspice exemplum hoc unicum: cum infinita possent dari. Apud Matthæum ait Christus: [Nolite judicare, ut ne judicemini vos.] Quid hoc? censore Catabaptistâ: magistratum agere, esse illicitum homini Christiano: & æqualitatem esse oportere inter omnes. Unde proscribunt omnia tribunalia, ipsi inter se scilicet fratres fraterrimi. At tu de hoc concluso scripturam consule, & alienum esse ab ejus consonantia deprehendes. Vetus fœdus quid eâ de re? approbat magistratum: clarè demonstrat, DEI vicarios esse hos, qui aliorum studia per æquitatem moderantur. dixerim itaque, sententiam eam, quæ ex verbis Christi affertur, contrariam esse Mosi, Psalmis, Prophetis, adeoque toti veteri testamento. At Novum forsan hæc antiquavit cuncta. Credi debeat, si possit comprobari: non potest usquam probari. Incurrit anarchia ejusmodi in mandatũ Christi: [Date Cæsari, quæ Cæsaris:] in Paulli hoc: [Omnis anima potestatibus superemiñetibus subjecta esto:] in Petrum: [Obedite regi, ὡς ὑπερέχοντι:] peccat etjam in omnes, qui cum his faciunt. Hæc cum equidem videam; an non suspicer, aliud esse intelligendum, quam quod sonetur? immò an non certò dicam, prohiberi heîc certum judicii genus, quod *traducendi* vocabulo notamus? Itaque videmus, hoc genus ab elementari quidem dissentire; sed tamen ad illud posse reduci, si leviter inflectatur eò, à quo per naturam est aversum. Refer huc, quæ Augustinus: [Quæ quasi flagitiosa imperitis videntur, sive tamtùm dicta, sive etjam facta sint, vel ex DEI personâ, vel ex hominum quorum nobis sanctitas commendatur; tota figurata sunt.] Qui & hoc habet, quod est ejusdem sententiæ: [Quod ad litteram nisi absurdè, non possit intelligi, procul dubio figuratè dictũ ob aliquam significationẽ accipi debet.] Si præterea affectum quartũ hujus generis notavimus; colligere juxtà fuerit promtum πάθος ἕκτον, quod sextum: & est: Propositiones

Matth. c. 7. v. 1. *Matth. c. 22 v. 21.* *Rom. c. 13. v. 1.* *1. Pet. c. 2. v. 13.* *De doct. Christ. l. 3. c. 12.* *De Gen. ad litt. l. 11. c. 1.* 6.

Scripturæ ſacræ ſublimes non quibusvis, ſed adultis eſſe concredendas: iis quippè, qui ſpacia catecheſeως egreſſi animum jam ad celſiora perdiſcenda roborârunt. Dico hæc: ſed ſimul non probo eorum invidiam, qui Scripturæ lectionem ut ſibi ſolis vindicant; ita aliis ſacrilegio ſingulari eripiunt. Putant quippè, Prophetarum vaticinia eſſe Sibyllarum carmina, quæ non niſi à certis hominibus inſpici æſtimarique conſueverant: ut Tacitus. Verùm volo; inter diſcendum certos eſſe tenendos gradus: quamdiu auditor ſit catechumenus, ingeminanda eſſe τὰ στοιχειώδη, iisque animum tamtiſper feriendum ejus, dum capita pietatis ex his perdiſcat. quod ſi percepta hæc; tum ſublimia illa aggregãda. at vix integre percipiuntur ante adultã ætatẽ: ergò non niſi provectiorib. τὰ στερεὰ dixerim exhibenda. Platonem videmus inter ſuas leges ſancire: ut ad Dialecticen ſoli admittantur οἱ τριακοντούτας, qui nati triginta annos. Ex cauſsâ: ne qui mali inde fiant, ἀεὶ εἰς ἀντιλογίαν χρώμενοι: ad contradicendum tantùm utentes. Quantò magis inter Chriſtianos cautio eſt adhibẽda, ne figuratis illis Scripturæ loquutionibus defatigentur imbecilliores: cum fieri ſanè poſſit, ut illis & ad ſuam & aliorum perniciem abutantur. Quocirca laudandum eorum ſtudium eſt, qui ſimplices Scripturæ de fidei rationibus colligunt ſententias: quibus informentur infirmiores, antequam Bibliorum vireta ingrediantur. Videntur autem hoc meditati etjam Jehudæi: cum quoſdam libros junioribus & aliquos quoq; adultioribus legendos permitterent: rati nimirùm, quod res: non cuivis ætati quævis eſſe idonea. Id Hieronymus nobis ſuggerit, quando dixit: [Hebræorum probatur traditio: quòd niſi quis apud eos ætatem ſacerdotalis miniſterii, id eſt, trigeſimum annum impleverit; nec principia Geneſeως, nec Canticum canticorum, nec Ezechielis exordium & finem legere permittitur: ut ad perfectam ſcientiam & myſticos intellectus plenum humanæ naturæ tempus accedat.] D. Lutherus autem, cur hoc ſit factum, rationem affert: [Voluerunt, inquit, totam Scripturam benè cognitam eſſe prius, quàm ad hoc caput perveniretur.] Quò ſi reſpexerunt Rabbini; laudandi fuerint. velim tamen diſtinctionem aliquam obſervatam eſſe inter juvenes εἰς ἥβην, &, eos, qui juvenes εἰς ἵππον. illis potuit differri Scripturæ lectio; his autem non item. Quamquam (ſi, quod ſentio, dicere volo) credere malo, ipſos ſuperſtitione quadam, quæ mihi nota, fuiſſe inductos: quàm aſſeverem pro certo, ad alium finem eos re-

De Republ. l. 7.

In Ezech. in Proœm.

Sup. Gen. c. 1

lo non sumantur; possunt hauriri ex dictis elementaribus, quę requirit necessariorum cognitio. quocirca his duobus Scripturæ generib. quæ adhuc explicavimus, unum idemq; prorsus continetur: differunt autem tamtum modo, quo à nobis percipiuntur. prius enim τὸ στοιχειῶδες se nobis ingerit ἀπὸ παιδεία, id est, propriis manifestisq; verbis: posterius aũt, τὸ σημεῖον, nobis percipitur μεθόδῳ χαλεπωτέρᾳ, hoc est, signis à communi loquendi consuetudine aliquamtum remotis. Quod habet primum; habet & secundum: primum necessaria promit: ut dictum ex parte, & infrà dicetur apertius. ne dubita igitur & de secundo; præsertim cum & Pater ille illustris dicat: [Si figuræ discutiantur in veteri testamento, omnia in his prophetata reperiri, quæ sunt præsentata, vel exspectantur præsentanda per Christum.] *Retract. 1. c.22.*

Atque hæc dicere habui de enuntiatis sublimioribus illis, quæ dixi: quæ si ritè percepta sunt, utilia erunt. loquentur enim modestiã nostram, quòd nullam imputemus Scripturæ sacræ rusticam simplicitatem: & incutient pudorem adversario, qui impudenter hoc nostro tribuit cœtui. Sunt constabilita, quæ modò proposita sunt, partim Vetustatis suffragio, quod sanctæ paginæ respondet: hoc modo quod comprobatum, ἀναποδείκτων, ἀμφισβητήτων: partim exemplorum cõgerie, è sacro codice depromtorum. *Plat. Tim.* Cum autem ἐπιστήμη ἀποβαίνει διὰ τῆς ἐμπειρίας τοῖς ἀνθρώποις: scientia hominibus obveniat per experientiam (ut ait sapientiæ Mystes) isthæc paradeigmata ad confirmandam nostram sententiam allata certam fidem de totâ hac contentione περὶ ἁμαρτῶν incorruptè attendenti utique implantârint. *Metaphys. L.1.c.1.*

Cap. IIII.

De tertio sacrosanctorum effatorum genere: quod μυστικόν.

SED cursum persequamur nostrum: supremum Numen faveat remis veli-que! Det huic capiti initium Justinus Martyr, Theologo-philosophus magnus, qui aliquo in loco asserit: de DEI incomprehensibilitate exstare μαρτύρια πρεσβυτάτων φιλοσόφων, Ἄκμονος, καὶ Ἑρμοῦ. Ἄκμονος πάγκρυφον θεὸν ὀνομάζοντος· Ἑρμοῦ δὲ, φανερῶς λέγοντος· Θεὸν νοῆσαι μὲν ἐστι χαλεπὸν, φράσαι δὲ ἀδύνατον. velut intelligat Latium: [Testimonia antiquissimorum philosophorum, Acmonis, & Hermetis. Acmonis, qui DEUM undiquaque absconditum dicit. Hermetis autem, perspicuè dicentis: DEUM mente contem- *Just. Martyr in Apolog.*

plari difficulter quidem; effari autem numquam possis.] Acmonis quidem, quem aliqui Ammonem esse putant, Commentarii interiêre: credimus tamen eum hæc hujusmodique sapuisse. Hermetis autem adhuc quædam exstant, in quibus hoc legis perspicuè, quod vides à sancto Patre allegatum. Certum erat his philosophis, ut & ipsi Justino: DEUM esse abyssum quamdam, in quam si immergat se genius humanus, ut cognoscat penetretque eam, submergi eum, atque perire. Hoc quàm verū sit; explicabit præsens Scripturæ genus: quod placuit appellari τὸ μυστικόν: videlicet cum hoc ita est comparatum, ut quemadmodum DEUS ipse, qualis quamtusque omninò sit, ab homine cognosci perfectè nequit; ita & illa enunciata quæ hanc summam majestatem ὑπερφυοῦς οὐσίας ex parte tamtummodò perstringunt; ab homine (excipio id, si singulatim DEUS hæc velit revelare) certè capi non possint. Appellavi autem τὸ μυστικόν, seu, Arcanum: nō quòd reliqua tria genera non contineant τὰ μυστήρια (nego me velle hoc; qui profiteor, totam Scripturæ vim esse remotiorem ab intellectu ἀνθρωπίνης ψυχῆς) sed ut sic subinnuam: quæ hoc genere contineantur, iis κατ' ἐξοχὴν hoc nomen posse attribui: cum sint maximè sublimia, & talia, quæ effata secundi generis longissimè superent. At cū de loco μυστικοῦ γένους ultrò constet; in rem ipsam est veniendum, & perpendendum arcanum hoc Scripturæ genus: de quo hoc asseveretur μάλιστα κυρίως: quod habeat EFFATUM SCRIPTURÆ, CUJUS SIGNA COMMUNITER OBVIA, CUM VERA SIGNATA LATEANT. Vel simplicissimè. quod dixi, est hoc: In hoc Scripturę genere verba sunt dilucida: at res his verbis propositæ habent aliquam obscuritatem. quocirca oppositum est ἐκ διαμέτρου generi secundo; cujus res claras, verba obscūra esse diximus. Unde autem hæc oboriatur obscuritas, dicere conabor; sed paucis. Hæc mihi Athanasius dicit; si lego: Ἐὰν μή τις τὴν αὐτὴν τῷ Θεῷ κτήσηται γνῶσιν, ἀδύνατον γνῶναι αὐτὸν ὡς αὐτὸς ἑαυτὸν οἶδεν. [Nisi quis eamdem cum DEO possederit cognitionē: fieri non potest, ut cognoscat eum, quemadmodū ipse seipsum cognoscit.] Et Basilius; Οἶμαι δὲ οὐκ ἀνθρώπους μόνον, ἀλλὰ καὶ πᾶσαν λογικὴν φύσιν ὑπερβαίνειν αὐτῆς (φύσεως θείας) τὴν κατάληψιν: [Existimo verò non homines solum, verum & omnem naturam rationalem transcendere ejus (naturæ divinæ) cōprehensionem.] Ponatur hoc: verum enim. Jam si DEUS loquatur de suâ naturâ, prout habet ea; loquitur ea, quæ à nobis non possunt intelligi. natura enim ejus ut super hanc universam naturam altissimè

Athanas. De Trinit. Dial. 1.

Basilius adver. Eunom. l. 1.

tissimè est collocata; ita & expositio ejus vim mentis nostræ longissimè transcendit: ut evanescat intenta in hanc abyssum magis, quã stilla muriæ illata Oceano. Sin verò aliquid de hac sublimitate verbis concredit, quę nostræ balbutiei conveniunt; tum id humano solùm more accipimus, qui supra humana non possumus assurgere; & intelligimus contra mentem ejus, qui dedit. Et nisi altitudinem hanc Scripturæ interventus alicujus humilioris complanet: locus ejuscemodi ut est obscurus nostræ hebetudini; ita quoq; obscurus manet. Quocirca eâ modestiâ esse oportet hominem Christianum, ut, si vel explicationem mystici alicujus effati ex loco clariore perspexit, vel aliâ adductus ratione notavit; tamen ita statuat de suâ sententiâ, ut credat, atque profiteatur, aliam, ac diviniorem adhuc posse latere mentem in verbis, quæ aliquid habent arcani, quàm quæ ipsius operâ sit propalata luciq; consecrata. Verum enimverò ejusmodi quædam in Sacrâ scripturâ occurrere, quæ difficillima sint intellectu; nec Spiritus sanctus earum loquutionum auctor promulgatorq; reticuit. nam si omninò omnia S. Scripturæ omnibus forent ἐν φανερῷ, frustrà precaretur Rex Propheta: [Viam mandatorum tuorum fac, ut intelligam; & meditabor MIRABILIA TUA.] Mirabilia illa esse fatetur. & quì non sint? nec dum singula intelligebat; quando canebat hæc: secùs, non supplicâsset DEO, ut illorum intelligentiâ bearetur. Quò etjam est referendum, quod eloquentissimus ait Esaias: [Non est INVESTIGATIO Sapientiæ ejus.] Vox est: cujus similes & apud eumdem Prophetam, & alibi in sacris permultas reperies. Et quis tam arrogans esse possit, ut infinitum sapientiæ divinæ pelagus se dicat esse emensum? Si stoliditatis fuit damnatus ille Philosophus, qui dictabat, se modò nihil latere, qui olim scisset nihil; quid fiet de illo, qui tamtâ insolentiâ sibi omnium divinorum cognitionem arrogat? Atqui verò de toto negocio hoc eximius est locus apud beatum Eirenæum: qui tametsi sit prolixior; exscribatur tamen. Hic est: [Credere autem hæc talia debemus DEO, qui & nos fecit, rectissimè sentientes, quod Scripturæ quidem perfectæ sunt, quippè à verbo DEI & Spiritu ejus dictæ: nos autem secundum quod minores sumus, & novissimi à Verbo DEI, & Spiritu ejus, secundum hoc & scientiâ mysteriorum ejus indigemus: & non mirum est, SI IN SPIRITALIBUS, CÆLESTIBUS, IN HIS, QUÆ HABENT REVELARI, HOC PATIMUR NOS: quandoquidem etjam eorum, quę ante pedes sunt (dico autem, quæ

Psalm. 119. v. 27.

Esai. c. 40. v. 28.

Adv. Hær. Eiren. l. 2. c. 47.

ſunt in creaturâ, quæ & conteruntur à nobis, & videntur, & ſunt nobiſcum) multa fugerunt noſtram ſcientiam, & Deo hæc ipſa cõmittimus.] Nec alium ſenſum habet id, quod ex Hieronymo affertur: & hoc quidem eſt, quod ſubjungit: [Si (inquit) tantus Propheta (ſermo eſt de Davide) tenebras ignorantiæ confitetur; QUA NOS PUTAS PARVULOS, ET PENÈ LACTANTES INSCITIÆ NOCTE CIRCUMDARI?] Neque mirum hoc nobis videatur, quod quædam in Scripturâ noſtrum intellectum ſuperet: cum & in profanis auctoribus non pauca ſe offerant, quibus vix, ac ne vix quidem à perſpicaciſſimis etjam aliqua lux poteſt dari. Revoca modò tibi mecum in memoriam locum Platonis, qui explicat περὶ τῆς ἀναλογίας animæ mũdanæ. quam ſunt omnia ibi impedita! vix ullus eſt inventus à tot ſæculorum decurſibus, qui ſine hæſitatione eum locum enodaret. Ego amplius: crediderim enim, vix à Platone ipſo hunc locũm intellectũ ſatis ac perceptum fuiſſe: credo non ſine cauſsâ. Tranſtulit enim hoc philoſophema ex commentario Timæi Locri in Timæum ſuum: qui pari obſcuritate hanc rem propoſuerat. quâ de re poſſunt teſtari & nomen & res: nomen, quia Platonis ſcriptio nomen Timæi retinet; res, quia Timæi Locri diſputatio, quam vir quidam doctus fermentũ Timæi Platonici appellavit, Platonis Timæo ſubnexa legitur. De Ariſtotele quid dicã? is certè (ſi veritatẽ contegere nolumus adulatoriâ diſſimulatione) infinitis in locis obſcuriſſimus eſt: in Metaphyſicis hę tenebræ ſunt frequentes: in Organo nõ raræ; adeò ut Themiſtius, interpres ejus fidelis, eũ dicat, p[r]ſus ineptire, qui ex ejus ſcriptis ingenuã ſententiã ſe habiturũ ſperet, quamq̃ alius ejus interpres docere conetur, obſcuritatẽ hanc illi placuiſſe, qñdo dicit: Ἀντὶ παντὸς ἄλλου παραπετάσματος τὴν ἀσάφειαν προβεβλημένος [Pro omni velamento obſcuritatẽ affectavit.] Ecquid verbis opus, ſi rerũ adſint teſtimonia? ſunt aliqua in Scripturâ, quæ in hunc uſq; diem nõdum ſatis ſint manifeſta. verba in his quidem tenemus, ſed res verbis explicatas minus aſſequimur: nec occurrit ex elementaribus, quod res has nobis expreſsè ſuggerat atque demonſtret. Verbi cauſsâ, cum legimus in Geneſi: DEUM diſtinxiſſe inter aquas, quæ ſunt infra expanſionẽ: וּבֵין הַמַּיִם אֲשֶׁר מֵעַל לָרָקִיעַ hoc eſt: [Et inter aquas, quæ ſunt ſupra expanſionem.] Verba heic ſunt clara: τὸ מַיִם ſignificat Græcis τὸ ὕδωρ Latinis autem, Aquas: tum verò τὸ מֵעַל, ὑπέρ, infra: & denique ipſum רָקִיעַ denotat ἔκτασιν Græcè, Latinè, Extenſionem. Itaque de verbis nullum jam dubium; res ambigua; qualis nimirum illa aqua, quæ ſit ſupra firmamentum? quis

Ad Paullin. de inſtit. Monach. Epiſt. 13.

Plato in Timæo.

Timæus Loc. de animâ mundi.

D. L.

I. S.

R. A.

S. A.

Gen. c. 1. v. 7

locus sit ille, in quo illa subsistat? conjectationes variæ. hic dicit esse veras aquas; at alius, corpus aëris; quidā, angelos; nonnulli, galaxian. Quæ varietas effecit, ut beatus Basilius resectis his speculationibus diceret: τὸ ὕδωρ, ὕδωρ νοήσωμεν. [Aquam hanc putemus aquam.] Et Beda: *Basilius.* [Quæ & quales sint illæ aquæ superiores; novit ille, qui fecit.] Occurrat præterea locus Paullinus, quem priori ad Corinthios epistolę *Beda.* inseruit: quid dicemus? profectò aliquid abstrusi habere videtur. Est hic: [Propter hoc debet femina potestatem habere supra caput propter Angelos.] Qui legimus, verba hæc intelligimus, & intelligimus *1.Cor.c.11.* probè: at ad rem ipsam difficilior aditus, quæ sub his verbis videtur *v.10.* latere. Vox ἐξουσίας ambigua quidem est: lucem tamen accipit ex antecedentibus & subsequentibus; & colligitur, τὴν ἐξουσίαν nihil aliud heîc significare, quàm τὸ σκέπασμα, velamen aliquod, κατὰ μετωνυμίαν. At verbum τῶν ἀγγέλων prorsus altum; & quid sibi velit hic locus, ignorare me malo confiteri, quàm temerè peregrinam sententiam profiteri. Quòd si per angelos intelligantur Ecclesiæ ministri, qui- *Expl.com.* bus debeatur hoc totum; tum recidit locus hic ad genus Scripturæ sublime: res quippè tenebatur anteà; de verbo autem erat dubium. Ferri potest hæc interpretatio; nihil enim derogat fidei nostræ analogiæ: tametsi forsitan non est illud præcisè, quod sublimis Apostolus voluit. At illorum depravatio prorsus est abjicienda, qui ex hoc loco turpem Diabolorum & hominum cōmixtionem, & inde pro- *H. Priscil.* lis, nescio quam generationem, elicere voluerunt; adhibito & illo insuper, quod sexto Geneseωs in hanc rem videtur dici. Nos spurca hæc spurcis relinquamus; sed exerceamus nos potiùs amœnâ hac disputatione, quæ juxtà & casta & sancta.

Sed antequam ad explicandas etiam hujus generis affectiones accedam, indicandū fuerit, quæ caussę sint, ad quas respexerit DEUS, quando quædam in sacris tabulis tecta absconditaq; voluerit. Quòd quis angusti cerebri obiicere velit, dum dicam Scripturam sacram aliquibus suis in partibus esse obscuram; perditum simul ire me plerasq; rationum, quas suprà ad vindicādam suam Scripturæ lucem expromserim: nihil est. Nam tum demum locum haberet illa ἔνστασις, si singula Scripturæ axiomata forent talia, qualia dicimus esse ea, quę referuntur ἐπὶ γένους τὸ μυστικόν: tum enim (quod absit, ut ullus dicat fidelis) dici possit: ergò DEUS est malus; quia bonum se communicat: ergò DEUS est invidus; quia suam sapientiā abscondit. Jam verò

maximam Scripturæ partem tam fecit dilucidam, ut possit à quovis intelligi linguam Scripturę tenente; quî vitio verti possit DEO, quod quędã Bibliis sint inserta, ad quæ oculi sensusq; mortales caligãt? quę ille edidit aperta, sunt talia, ut habeant ea omnia, quibus homo ad salutem possit erudiri. nemo itaq; DEO succensuerit propter mysteria, quibus Scriptura est variegata; cum non irrepserint fortuitò; sed invecta à DEO graves ob caussas. Et harum prima est hæc; Ut sapientiam, quam infinitam esse in ipso credimus fideles, DEUS aliquo modo nobis probaret. Iniquitas humani ingenii est magna, & eo (eheu verò!) Satanæ astu delata, ut, quod scit se nescire mens, scire se dicat, atque profiteatur: id adeò, ut putet, omnia patere suo acumini, quæ divinissima queant existimari. Errat verò misella hominis sapientia: quandoquidem, si supellectilem suam attentiore curâ scrutetur, eam curtam, & plusquàm curtam esse animadvertat. Et hanc refellere vult DEI sapientia; dum alicubi tantum emicat eo fulgore, qui oculos effodiat iis, qui se vel Argos, hoc est, oculeos profitebantur. unde insipientissimum esse oportet, qui sapientem se perhibet; quando sapientiâ DEI excæcatus, ubique stupet. Itaque & sanctus Jochannes cum numerum feralis Bestiæ esset indicaturus, *Apoc. c. 13. v. 18.* præsternit hæc: ὧδε ἡ σοφία ἐστίν: [Heic sapientia.] at quæ? DEI videlicet, quæ nonnisi DEO singillatim caris solet concredi. Hanc sapientiam confessus est pulcrè Agni Leo, quando dixit: [Nemo ad *Leo in Serm. sup. nat. Christ.* cognitionem veritatis magis propinquat, quàm qui intelligit, in rebus divinis, etsi multum proficiat, semper sibi superesse, quod quærat.] Et Gregorius: cujus hoc ut eximium, ita celebre: (Divinus sermo) *Gregor. Ad Leand.* [quasi quidam est fluvius, ut ita dixerim, planus, & altus: in quo & agnus ambulet, & elephas natet.] Secunda mystici sermonis caussa *2.* sit isthæc: Scripturam divinam alicubi prorsus esse profundam: ut esset, quod nos posset edocere vita beata. Illa enim abunde dabit, quod nostræ deest imbecillitati. quæ scimus, sunt perexigua: vix certè tanti momenti, si referas ad exquisitam in vita sempiterna suppeditandam rerum magnarum cognitionem, quanti puerorum abecedariorum opera, relata ad summarum scientiarum sublimitatem. Ergo quæ tenemus, ea sunt instar alphabeti: quæ viam sternunt aliquo modo iis, quæ in cælum recepti perfectè sumus percepturi. Ex quorum numero esse possunt plurima, quæ in sancta pagina, ceu divina quædam ænigmata admiramur. Ita referre huc possum, quæ

sanctus

ſanctus Paullus alicubi effatur: Χρησμὸς ὅδε ab illo: [Nunc cognoſco ex 1. Cor. c. 13.
parte: tunc verò cognoſcam, qua ratione cognitus ſum.] Non quod v. 12.
paullatim res ſimus percepturi: nihil eſt: ſimulac ſiemus participes
ſalutis, momento uno ſciemus ſcienda. Conſpirat cum Paullo & Ei- Eirena.
renæus, à Paullo quippe hæc eadem edoctus: qui hæc: [Et quid mali Adv. Heref.
eſt, ſi & eorum, quæ in ſcripturis requiruntur univerſis ſcripturis l. 2. c. 47.
ſpiritualibus exſiſtentibus, quædam quidem abſolvamus ſecundum
gratiam Dei, quædam autem commendemus Deo, & non ſolùm
in hoc ſæculo, ſed & in futuro: ut ſemper quidem Deus doceat; ho-
mo autem ſemper diſcat.] Quod & apertè tradit magnus Baſilius; Cont. Eu-
quando ait: Εὐσεβοῦς ἐστὶ διανοίας, τὰ ἀποσιωπηθέντα ἐν ταῖς ἁγίαις γραφαῖς εὐλα- nom. l. 3.
βεῖσθαι ἐπιφημίζειν τῷ ἁγίῳ πνεύματι· πεπεῖσθαι δὲ τὴν ἐμπειρίαν αὐτοῦ καὶ ἀκριβῆ
κατάληψιν εἰς ὕστερον ἡμῖν ἀποκεῖσθαι αἰῶνα: quæ ſunt: [Piæ mentis eſt, quæ
in ſcripturis reticentur, vereri de ſpiritu ſancto dicere: potius autem
perſuaſum habere peritiam ejus & accuratā perceptionem in futurū
ſæculum eſſe repoſitam nobis.] ſed cauſſa (ecce) tertia illa: ob quam
myſtica ſunt in ſacris, eſt ea: ut nimirum exſtaret quid, quo quidem, 3.
ceu Lydio lapide, Deus noſtram probaret fidelitatem. Atqui verò
quid ita? quia ſi arcana illa magni facimus, atque in illis divini quid
eſſe ſentimus, tametſi nondum prorſus ſint retecta, quæ ſuſpicimus;
fideles tum bonoſque nos Deus pronuntiat: quòd videat, nos in i-
pſius honorem aliquid admirari, cujus præſtantia nondum usque-
quaque perſpecta ſit nobis. Reprobam etjam mentem, id eſt, per-
verſi animi abſtruſos ſenſus in lucem trahit; cum objicit illi ſcripturæ
altitudinē. confeſtim enim profanus ſe tum prodit genius; & judicat
de ſcripturæ arcanis, quod ſtatuit de Apollinis oraculis: dubia nimi-
rum eſſe dicta, ex eo, quod dubius fuerit auctor de eventu eorum,
quæ voluerit ænigmate innuere. Itaque verax fuit, qui ſolitus dicere I. M.
eſt: Diſtorta cognoſci poſſe ingenia; ſi ſcripturæ varietate exercean-
tur. certè verum. numquid Piſtori? nam & te inde judico. [Dura Cyrill. in
(enim) videntur inſipientibus, quæ ſapienter dicuntur:] ita Cyrillus. Ioel. l. 4. c. 26.
Sed quartam ſubnecto rationem: ob quam Deum ſcripturam alicu- 4.
bi extuliſſe credam. hæc eſt: ut præferox ac confidenter ſuperbum
noſtrum ingenium ſublimitate hac majeſtatis divinæ retunderetur
edomareturque. Etenim ſi ſumus perſuaſi, eſſe nos καὶ πανσόφους, καὶ
παντεπιστήμονας: ut prima nos edocuit ratio; cornua nobis ſumimus ill-
hicò; inaniter rati exſtare nihil, quod noſtram fugiat ſcientiam. E-

I. S. nimverò cum omnis superbia sit stulta: adeò ut vir doctissimus edixerit: stultum nos dicere, quem superbum dicamus: cum stultitia & superbia differant, quemadmodum mater, & filia: stultissima censenda est ea, quæ exoritur, nulla exsistente evidenti caussa, ob quam exorta credatur. Hoc autem si verum, ut verum; quis non stultissimos censeat eos, qui insolescant ex eo, quòd somnient, hausisse se, quodcunque in scripturâ sacrâ qer spiritum sapiētiæ sit Ecclesiæ propinatum. Et verò aliquoties contingit, ut homo, ὁ ἰδιώτης, eò dementiæ insaniæque progrediatur. quocirca redarguitur per hoc scripturæ genus, convinciturque liquidò, quod tamtum sapiat per suæ naturæ suggestum de his scripturæ arcanis, quamtum de ipso is, qui prorsus non est. Redargutio non ingrata sit ei, cui contingit: demit φιλαυτίαν, quæ nocet: & animum ducit ad eam moderationem, quæ Christiano homine est digna. Atqui quòd patiatur hæc, qui scripturæ ut rusticæ, impiè insultet; testatur is, qui scripturæ sanctæ diligentissimus lector & æquissimus juxtà æstimator, doctus Augustinus. is ait, à scripturis insultari his, qui se scripturis existimant insultare. Verba ejus sunt ista: [Scriptura sic loquitur: ut altitudine superbos irrideat; & profunditate attentos terreat.] Ita habe de caussis: quas subesse huic generi equidem animadverti. boni consule, ô mi, qui meus. Ad alia.

August. de Gen. ad litt. l.5.c.3.

Regrediendum jam: & explanandum, quid ferat hoc genus, quod nostris jam meditationibus libramus. Tametsi enim superiùs ejus audita finitio, quæ & conatu mediocri enodata: tamen lucis uberioris hauriendæ ergò quædam explicentur, quæ non cuivis se offerunt. Loquor de affectionibus hujus generis, quæ rem non parum illustrabunt. pauciores quidem sunt illæ, & quæ numerum affectionum τοῦ σημείου haud æquabunt: sed tamen & illustres, quæque clariùs superiora proponent. Et quidem, ut rectâ ad rem, hoc primum licet animadvertere: ita esse affectum mysticum sacræ scripturæ genus, ut nec
1. ad elementaria, nec ad sublimia ejusdem scripturæ possint reduci, nisi magis inflectantur signa. Prima hæc est affectio, qua dicitur: præsentem sacræ Paginæ loquutionem aliquamtò esse alieniorem: adeò quidem, ut commodè nec ad elementaria, nec ad sublimia scripturæ dicta possint referri. Cum diceremus de secundo scripturæ genere; explicavimus fusè, diffidere istud à primo genere: cognitus enim in illo esse res; cum in hoc tam res, quàm verba sint obvia. at tertium

tertium recedit ab utroque: quo fit, ut eius explanatio sit difficilior. Quamquam enim verba in eo aliquid sonent, quod intelligitur: tamen non loquuntur id, quod verborum cortice porrigunt: discrepantia manifesta in reliquis: res ignorantur, quæ propriè intelligendæ exhibentur. hoc modo apertè adversantur generi primo, in quo cum verbis notæ sunt quoque res: contra autem tenentur verba, sicque tenentur, ut alia eorum significatio non appareat. atqui hac ratione secundo contrarium est, quod habet difficilia verba, quæ tamen facilia interventu Elementarium possunt evadere. Et res hæc ut manifestior evadat, adducendum exemplum, quod abstrusiorem videatur habere sensum. esto illud, quod est in Actis judicum: in carmine quippe triumphali Deboræ Baracique hic legitur versus: [De cælo dimicatum est contra eos: stellæ in cursibus suis adversus Sisaram pugnârunt.] Si urgeas τὸ ῥητὸν, gratum dices agesque Chaldæis, quibus testibus, singula inferiorum, stellarum fixarum vagarumque arbitrio & oriuntur, & cadunt. Arqui id nulla habent elementaria scripturæ loca: immò contrarium hujus frequens. Sin consules τὸ διάνοιαν; etjam hærebis. expone de DEO: ut exponunt plerique; Cælũ nempè erit DEUS: quod permitto. nam cælum pro DEO alicubi positum visitur. stellæ autem? Angeli forsan: duriusculè, Militiæ præfecti? inusitatè. De utroque cum adhuc sim incertior; enunciatum hoc nondum possum referre ad sublimia effata, quòd quædam ejus signa adhuc videntur remotiora esse à rebus elementarium: quod secùs est in τοῖς σπερμοῖς. Quid ergò? spernone hoc, quod nec dum capio? immò quia non capio, magis suspicio: intelligam aliquando; si quidem DEO placeat: cum discam ex Gregorio: [Scripturæ notitiam cum legentibus crescere.] Nimirum & beatus Augustinus persuasit, qui, ut assolet, eximiè: [Quæ ita dicuntur (in scripturis,) ut rebus humanitus, seu divinitus gestis, sive gerendis, convenire non possint; quis fidelis dubitet non esse inaniter dicta?] Indico & secundam affectionem mystici sermonis, quæ est: Cognitionem hujus generis in Ecclesia extollere, si habeatur: nec dissepiri ab ejusdem communione eum qui vel careat eâ. Sententia est: non censendum esse ab ecclesiâ alienum, qui singula scripturæ mysteria non novit. reservatur enim illi notitia isthæc in vita beatâ: cùm teneat interim ex elementaribus scripturæ dictis, quæ viam illi sternunt ad beatitatem illam consequendam. At vicissim qui DEI favore aliquam eorum

Indic. c. 5. v. 20.

Gregor. Mor. 20. c. 1.

August. Civit. Dei. l. 17. c. 3.

2.

mysteriorum partem est assequutus, non frustrà se hæc accepisse dicat: cum sit à Deo hoc: Deus autem nihil facit frustrà. Itaque in Christi Ecclesiâ extollitur ejusmodi, & emicat ex eâ, quemadmodum claro cælo inter vulgares stellas radiat vesperugo. Cape exem-
Gen.c 3.v. plum. quæratur modò, quid significat [rhomphæa flammea] apud
24. Mosen? Audi duos quorum uterque in Ecclesiâ: & magis is qui minus esse putatur: si vel ilia rumpantur Codro τῷ βεκκεσελήνῳ. Celebris
De Lyra, in Gen.c.3. ille Nicolaus de Lyra de eo hæc habet: [Per gladium flammeum intelligitur aliquis ignis materialis ibi factus à Deo, & oriens de terra: sicut dicitur de monte Ætnæ qui continuè ardet: & significatur nomine gladii: quia ignis ardens sursum in superiore parte acuitur in modum gladii.] Noster autem doctissimus Lutherus eumdem ita
D.Luth.in Gen.c.3. explicat: [Cherubim isti in via non habuerunt ferrum, quo arcerent accessuros: sed (la hat) gladium versatilem: hoc est: fulgetrum seu flāmam, qualis est fulguris, quæ incerta est & perstringit oculos. Habuit autem ista flamma seu fulgur hoc formam gladii, qui movetur assiduè seu vibratur.] Uterque magnus: major Lutherus tamen Lyrano: ignoramus enim ejusmodi Ætnam in oriente, de quo concionatur de Lyra Doctor: Lutheri autem sententia probabilior: quia agit de re magis nobis consueta: quæ tamen maximè erat insueta Protoplastis illis: quocirca & ea plurimum potuerunt perterrefieri. Id facit, ut anteponatur Lutherus Lyrano: tametsi Lutherus eumdem propter loci hujus ignorantiam è fidelium cœtu haud excluserit: nec nostrûm faciet ullus, qui scimus: Differentiam donorum non arguere differentem fidem. Jam tertia succedit affectio, quæ est: Mystici generis notitiam non omnibus, sed iis tamtùm concedi: quos
3. Deus singillatim sua dignatur gratia. Videmus magis magisque restringi scripturę cognitionem. primum nempè dictorum divinorum genus ad omnes attinebat, qui sermonis & linguæ sacræ essent gnari: secundum illis tamtùm modo dicebamus concredi, qui jam ephebis scholæ catecheticæ excesserunt: tertium hoc magis coit: datur enim his tàmtùm, qui Deo præcipuè cari. Velim ego referre huc eos potissimùm, quos Deus suæ Ecclesiæ erudiendæ præfecit: quales sunt Ecclesiæ ministri. illis enim commissa dispensatio mysteriorum divinorum: & mandatum, ut studerent ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας:
2.Timoth. c.2.v.15. [Rectè secarent sermonem veritatis.] at qui perfectius secare novecunt; penes hos est pénu tam reconditorum thesaurorum. Quamquam

quam & juxtà excipiam, quod res: nec singulis ministrorum concedi aditum ad tamtarum rerum secreta: quod tamen de rationibus officii, quod sustinent, nihil demit: cum sacrorum nostrorum mystes ad priora illa scripturæ genera tenenda adstringatur; ad tertium, & quartum non perinde potest adstringi, quæ referantur Dei delitiis, quas dixi. At qui magis valent ratione secandi sacrum sermonem, iis gustus præbetur de his arcanis: quem & aliis expromunt, quoties opus. Tales fuerunt œcumenici illi orbis doctores, Apostoli Christi: qui spiritus auspiciis sacram undiquaque penetrârunt veritatem: à quibus plurimùm absunt adhuc nostri doctores: quamtumvis unione ministerii cum eisdem conveniant. Sed enim non negârim interea, ut quibusvis temporibus, ita & hodiè esse, quos Dei spiritus in tamtorum adyta introducat: quod tamen non fit tamtâ mensurâ, quamtâ olim. Ergò huc mihi applicetur nec aliò, quod legimus apud Augustinum: [Magisteria forinsecus adjutoria quædam sunt, & admonitiones: cathedram in cælo habet, qui corda docet.] Et heîc audire volo illud Bernhardi: [Numquam Paulli sensum ingredieris, nisi Paulli spiritum imbiberis.] Subjungo denique & quartam affectionem, quæ in hoc genere animadvertitur. est hæc: Horum mysteriorum notitiam, tametsi suspicienda sit illa, non tamen esse de salutis necessitate. Consequitur hæc ex priore illa, quâ diximus, quibusdam tamtummodo concredi hujus generis investigationem: asseriturque illud, non illum suæ salutis facere jacturam, qui arcana scripturæ loca non intelligat. Unde & hoc insuper potest inferri: pauciora esse ejusmodi dicta, quàm ut numerum pronuntiatorum sublimium æquent: cum semper pauciores sint illi, qui doceant adultos, quibus secundum genus convenit: quemadmodum diminutioris sunt numeri ipsi adulti, si respicias ad omnes, quibus primum genus est aptum. Ergò secundum est angustius primo: & tertium secundo: quod ut ex affectione præsenti defluxit; ita & de veritate ejus poterit testari. Verùm tamtâ in claritate vix opus probatione. Detur enim post prophetas atque apostolos, etjam in fidelium choro, quem nihil in sacris latuerit. Et privabor ne ego æterna beatitate, siquidem Canticū canticorum non ubique assequar? vix, opinor, damnabis me, mecum damnande, quem forsitan etjam quædam in eo fugient. Sic & apertè confiteor, quod nullus ferè piorum infitiatur, ignorare me, quid propriè intelligere debeam per stimulum carnis, qui datus sit Paullo? &

August. sup. Epist. Ioch. tract. 3.

Bernhard. in serm. ad Pat. de mōt. 4.

2. Cor. c. 12. v. 7.

quoque, qui sint Satanæ colaphi, eidem impacti? Quod si hoc ignorare, esset salutis naufragium facere; quot Patres, quot Doctores portum non attigissent salutis? tot enim, quando eam ad rem deventum est, ferè interpretationes liceat animadverti, quot interpretes. Vides hoc & magnum Augustinum sensisse, quando ait: [Non ad ea, quæ necessaria sunt saluti, tamtâ pervenitur difficultate: sed cum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua piè rectéque non vivitur, multa, multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca, intelligenda proficientibus restant.] Cum quo & consonat illud ejusdem: [Etsi quilibet horum, quemadmodum demonstrari & explicari possit, ignorem: illud tamen credo, quòd etjam hinc divinorum eloquiorum clarissima esset auctoritas, si homo illud sine dispendio promissæ salutis ignorare non posset.] Hæc Augustinus: qui Laurentio suo respondet aliâs: Plurima adhuc esse in scripturâ, quæ ignoret.

August. Ad Volus. epist. 3.

Idem. De doct. Christ. l. 2. c. 36.

Ita & obsigno hanc disputationem, quæ de tertio dictorum divinorum genere instituebatur. Situs est in hoc summus Theologiæ apex, & quasi (ut quidem olim loquebantur) maximum subtile: & sic scripturæ accidit, quod & reliquis scientiis, in quibus cõsimiliter notare possis, quod externum, & obvium, tum & penitior medulla, qua nihil excelsius queat reperiri. Ergo quod dici consuevit de illo artium fastigio; rectè & dicetur de scriptura mystica: [Venus Appellea non undiquaque cognoscitur:] cum nimirum Nec cuivis liceat adire Corinthum.

Schol. Proverb.

Cap. v.

De quarto sacrosanctorum effatorum genere: quod ἰνομαστικόν.

AD finem contendit dimidium illud nostræ disceptationis: agemus enim tandem de quarto sacrorum eloquiorum genere, quod nobis appellatum est nomine τοῦ ὀνομαστικοῦ. Non discedendum, inquam ego, antequam & de eo cognoscatur: cùm quia partitio locorum sacrorum futura esset manca, si hoc prætериretur genus, quod & obvium in sacris, & primo ex adverso respondet: tum quia Pistorius meus (si ex suorum disputat mente) assiduè hoc ipsum jactat, quoties scripturam obscuritatis convincere attentat. Quid efficit cum illis? & ille, & illi sunt irrisui: quod, neglectis præcipuis, ὥσπερ οἱ φαρισαῖοι

φαρέτρας ῥηματίσκια αἰνιγματώδη ἀνασπῶντες ἀποτοξεύουσι: [Tamquam ex pharetra verbulula ænigmatica depromentes jaculentur:] ut utar verbis Theodori apud Platonem. Nihil est: minus obtinent per hæc atque efficiunt, quod volunt, quam ver una cum altera hirundo. Verum quod factum in aliis, heic non est negligendum: ut nimirum antequam in genus onomasticum inquiramus κατὰ μέρος, definiamus illud: quod quidem tum fiet, quando dicemus: referri huc HUJUSMODI SCRIPTURÆ SACRÆ EFFATUM; CUJUS CUM SIGNA, TUM SIGNATA IN ABDITO. Sicq; constiterit, τί ἐστιν: & conspicuũ, quartum hoc dictorum sacrorum genus oppositum esse primo illi: in quo quemadmodum & res & verba fuerunt in luce; ita in hoc & res & verba caligine sunt operta. Statim quæres: quorum oculis hæ infestæ tenebræ? ubi respondeo: plurimorum sanè: & nisi vererer invidiam, dicerem, omnium. Quamquam enim probabiles multorum de his exstent sententiæ: ut verisimile, aliquam inter has esse, quæ rei dederit lucem: tamen multitudo interpretum efficit, ut dum nescimus, qui nobis sit eligendus, magna in copia hac majorem sentiamus adhuc inopiam. Verùm res repetenda altius paullò. Quòd genus hoc est obscurius, ex eo tale est, quòd quæ in secundo & tertio genere aliquam habuerunt difficultatem, confluant in hoc genere. Etenim etjam signa, id est, verba obscura sunt: verum non ita obscura, ut sunt in secundo. tametsi enim signa secundi generis ex sua natura non luceant: tamen si signis primi generis subdita, eximiam tandem acquirunt lucem: quod non fit in hoc genere, quod versamus sub manu: quandoquidem signa ejus ut sunt impedita ex se; ita aliorum accessione nec possunt expediri. Ita & genus præsens obscuras habet res: quomodo cum tertio locorum genere communicat: nam & illud rerũ obscuritate dicebamus excellere. At enim ea caligo aliter habet & heic, & illheic: rebus enim tertii generis consuli potest per genus elementare; si nimirum divina annitantur ingenia: at signatis hujus generis raro certa lux dari potest: cum elementare illa plerumque videatur præterire. Tenebræ hæ, si attentius nobis examinabuntur, certis ex caussis oriri liquido deprehendentur. Nam si hæsitabimus in explicanda propria alicujus vocis vi; tum id eveniet ex uno inter hæc quatuor. namque aut linguam ignorabimus, quam loquitur eò loci spiritus sacer: ignorata lingua; ignorabitur & res quoque. quod admonitio sit, ut discamus eas linguas, quæ placuere spiritui sancto.

Plato, in Theat.

Proverb.

ad ſuam ſapientiam divulgandam; ſi volumus, ut accurata ſcripturæ cognitio contingat nobis. Aut quia peregrinæ linguæ non perinde nobis ſunt notæ, ut eſſe debebant: quod facit, ut minus aſſequamur verbi alicujus mentem. nam licet duabus potiſſimum linguis ſuæ ſapientiæ expoſitionem concredidit ſpiritus DEI: tamen & peregrinas voces interdum iiſdem aſperſit: quas linguas quia tenemus minus, quid mirum, ſi allucinemur? Aut non aſſequimur vocum ſignificata: quòd res nobis ſint incognitæ; tametſi originis ratio aliqua de iis edocuit. verbi cauſſa: ſuo nominetur nomine frutex quidam ex India, qui his in terris haud viſitur: ſi vel edoceant me Phyſicorum lexica, hoc nomine appellari fruticem Indicum: tamen quia adhuc neſcio, qui frutex ſit ille, adhuc hæſito. Aut denique quia voces ejusmodi interpretum ſuffragiis contrariis ita ſunt exulceratæ, ut ad eligendam veram aſſertionem aliquot Oedipodis eſſet opus: & ferè nobis accidit, quod evenire conſueuit puellis, quando jubentur diſcernere, quod pomum à patre, quod à matre illis ſit deſtinatum, condonatumque. Hæc de cauſſis hujus caliginis: unde præterea hoc manifeſtum, laudabile quidem eſſe, ſi quis etjam in hoc genere accuratius ſit eruditus; non tamen periclitari fidem Chriſtianam, quæ onomaſtici generis explicatione haud valeat. Quin potius ſiquis poſthabitis iis, quæ neceſſaria; voluerit λογομαχεῖν, id eſt, pugnam inire de verbis; is ſanè faciet ejusmodi, quod nullam affert utilitatem, & ſubvertit auditores: ut alicubi magnus Apoſtolus. Quod verum adeò in linguarum idiotiſmis: quorum nimis anxia excuſſio non probatur: cùm Auguſtinus, exercitatus Theologus rectè dicat, in his: Quæ ſunt civitates, in quibus ipſi inhabitant in ipſis: magis eſſe loquutionem alienæ linguæ, quam ſenſum aliquem altiorem.

2. Timoth. c. 2. v. 8.

Auguſt. de doct. Chriſt. l. 2. c. 13.

Atqui ut rem plenè planeque proponamus; attexamus paradeigmata, quæ illuſtrent rem illá, quam agitamus. Duo erunt: unum ſumitur ex veteri Inſtrumento, ex Geneſei: eſtque hoc: cum Joſephus Ægypto præficeretur, ſolemni in inauguratione hæc præco clamavit: אַבְרֵךְ: abrech. De voce hac quæſitum eſt multùm, quid ſignificet. Lutherus dubitat: aliis committit inveſtigandi provinciam. Nec Lyranus eſt certus: cum ſequatur dubium ductum. Faſciculus Myrrhæ aſſerit eſſe principem quemdam, coram quo flectantur genua: à quo non diſſentit verſio vulgata: & tum eſt à: בְּרֵךְ: [genua flexit.] Inter Jehudæos quidam compoſitam vocem eſſe autumant, ac ſignifica-

Gen. c. 41. v. 43.

In Bib. Ger. in marg.

In Gen. c. 41.

Faſc. Myr.

Thalm.

ſignificare tenerum Patrem: quomodo Pharao reſpexerit ad Joſephi ætatem; ab אַב: quod Pater, & רַךְ: id eſt, tener; quam ſententiam etjam ſequitur Hieronymus, ut tradit de Lyrâ. Rabbi Schelomoh aliud ſentit: vult enim εἶναι μιξοβάρβαρον, ſeu eſſe conflatam vocem ex Hebræa, & barbarâ: itaque ait אַב ſignificare Patrem, quod & ſuprà conſtitit, cui ſubnectatur רֵךְ quod in linguâ barbaricà quadam denotet regem: ubi reſpexit forſitan ad idioma Latinum, cui ſummus princeps venit nomine Regis: vel meditabatur Gallicam linguam, quæ regem dicit Roy. Ab his diverſum ſentit Belga ille, non indoctus, Jochannes Goropius; cui ſi credimus perinde, ut contendit ipſe, vox hæc nec Hebraica, nec Ægyptiaca, aut linguæ alterius, ſed Cymbrica (ut ipſe loqui conſuevit) id eſt, Germanica fuerit: inferiores enim Germanos Summatem appellare *Obrecht:* quod omninò cum voce Moſaicâ congruat. Varietas ſignificationis (ut videmus) eſt magna: & major adhuc poſſet oſtendi; quam differo; cum foret ſupervacua ea. Ægyptiacè ſi ſcirem equidem; ſcirem fortaſſe, quod ſciri heîc debet: at quia linguam eam non callet mea lingua; non exſpectabis à me, quod numquam tibi præſtitero. Fuerit forſan nomē certi cujusdam muneris: at quale, non liquet. Alterum nobis ſubminiſtret fœdus novum: eſto id, quod legimus in Actis, ubi Stephanus Synhedrium Jehudaicum ita increpat: [Bajulâſtis tabernaculū Moloch, & ſydus Dei veſtri Rhemphan.] Sententia eſt, ex Prophetâ Amoſo recenſita: quod confitentur omnes; resque teſtatur ipſa. Utrumq; ejus membrum difficultatē habet: unum, in voce [Moloch.] alterū autem, in [Rhemphan.] prius relinquo; poſterius perſequar. Quærunt nimirum, quid Rhemphan? ubi malo reſpondeant quærentes, quam ego, qui interrogor: diverſa enim dicunt, qui explicant hanc vocem. Sunt ergò qui ajunt: mendosè deſcriptum eſſe hoc verbum è Codice Euangeliſtæ Lucæ; qui habuerit vocem ῥεμμὰν: nec ῥεμφάν. Rheminona autem fuiſſe eidolum, quod Syri religioſe habuerint: dicitur expreſsè in geſtis Regum Iſraeliticorum. Alii in aliâ ſunt ſententia: ac exiſtimant, ῥεμφὰν nos hodie legere; cum ſcriptum ſit à Luca, ῥεφὰ: raphe autem (Hebraicè רָפָא:) Gigantem ſignificat, cujus ſtaturâ ſolitus eſt depingi Hercules; quem Ægyptii adorabant & appellabant Chonem: quæ vocula cum Hebraico *Chiun* eximiè convenit ſono, quam vates Amos uſurpat. indeq; exiſtimant, Interpretes Herculem per antonomaſiam innuiſſe. Quidam etjam

Solom.

Gorop.

Actor. c. 7. v. 43.

2. Reg. c. 5. v. 18.

1. P.

hoc dicunt: deceptum esse interpretem conformitate litterarum,
L. O. quæ sit in scriptione Hebræâ: sicque lectum esse רמון *remvan:* cum tamen esset scriptum apud Prophetam כיון: *kiun:* at jam quid *kiun*?
R. K. novæ difficultates. Jehudæi nostri, inter quos maximè David Kimhi est, nobis confirmant suis argumentis, esse quoddam placentæ ge-
R. S. nus, quod offerebatur eidôlo Moloch: tametsi his alii adversi, contendunt, esse stellam illam Saturni, quæ hoc nomine ab Ismaëlitis ap-
B. A. pellata sit. At est, qui probabilius quid afferat. ait enim, per vocem *kiun* intelligi Seirium, qui Græcis sit κύων, canis: quod magis credendum, ob hoc, quia caniculæ exortus Ægyptiis sacer fuit habitus, & dignus, à quo annum auspicarētur suum. Quod si est verum; interpres
J. A. videtur scripsisse nō ῥεμφὰν, sed ῥέμβων: quod est, *in gyrum agens*: quod epitheton si addatur τοῦ ἄστρου; videtur nobis insinuare Seirium: qui canes in rabiem versos circumagat, & excarnificet. Jam ergò, quid ego? multæ certè sunt conjecturæ: & quædam non ineruditæ. at inter omnes est nulla, quam pro verâ præcisè tutari ausim, cum intelligi heîc possit, quod me potest fugere. Immò fugit: in quo sum certior.

Enimverò unum adhuc restat, quod similiter fuerit expediendū, antequam concludamus, quod disserimus. Affectiones dico hujus generis; quas addemus. at ut contractum est genus ipsum; ita & ipsæ sunt numero paucæ, illustres tamen: ut rem præsentem non inutiliter illustrent. Duæ autem potissimum sunt; quarum una est hæc: Versari genus onomasticum circa voces quasdam, quæ ita affectæ sunt, ut res quasdam singulares explicent: quod genus vocum proprium vulgò appellatur. Talia autem sunt quædam nomina urbium in sacris, quorum res nobis non liquet amplius: cùm quia nomina mutârunt sua eo ab tempore, quo mentio earum in Biblicum relata codicem est: tum quia ipsæ sunt eversæ; unde nil mirum, cum sit deleta res, factum esse obscurum nomen. Ita quoque res habet cum quibusdam fluuiorum nominibus qui tametsi adhuc fluant, ut putà peremnes: tamen quia aliter alibi nominantur, effectum per hanc diversitatem est, ut nesciatur haud rarò, ecquod nomen huic vel illi competat flumini. Idem est sentiendum de nominibus quibusdam stellarum & animalium; quæ singula percenseri accuratius, isthæc haud permittit disquisitio. Quî ego sciam, quid significent in Levitico *ar-*
Levit. c. 11. v. 22. *be, selaam, hargol, hagab?* nesciunt majores. id constat, esse quædam

avium

avium genera: at quæ, haud constat. Lyranus tria horum facit species locustæ; quartum autem, quod penultimum, dicit denotare ophiomachum. Lutherus dubitat, quid hæc sibi velint nomina: dubitatio ejus me facit certum, non esse, qui ea propriè explicet. Sunt & aliæ quædam propriæ rerum denominationes in sacris, quæ nobis minus perspectæ sunt: quas adducere foret supervacuum. Hoc tamē præcipuè notandum venit: tametsi occurrant quædam in Bibliis ἀνόματα ἄδηλα: ea tamen multa non esse, sed pauca, si cum reliquo Scripturæ apparatu compares, καὶ ἀριθμητὰ, seu ea, quæ facilè possent numerari; siquidem cum judicio, rudioris ad Scripturæ lectionem afferatur industria. Illa pauca si vel ignoremus; quid tum? non magis in ullos, quàm in Jehudæos peccabimus: quorum tamen cachinni etjam nobis irridendi; perinde ut risi sunt ab Hieronymo, quando dicebāt: Se penitus nescire, quid quædam nostrorum Bibliorum voces sibi vellent. At altera hujus generis affectio sit isthæc: Esse videlicet ἀνεξερεύνητον τοῦτο ferè: & dubium manere plerumque, etjam explicatum. Et hæc sine ratione equidem dicam? nolim videlicet: cum certum, firmas esse ita rationes, quæ unâ ex parte afferuntur; ut ex alterâ possint expromi, quæ queant adversas elidere. Λόγοι γὰρ ἐκπαλαίονται λόγοις: quandoquidem rationes rationibus infringantur. Et ut discamus exemplo, quod est tutissimum heic: quæ potest esse certitudo de voce דודאים (Dudaim) quę Rubenus tempore messis observata ad matrem Leam detulit; ut est in Genesei? Quid significant? qui potest; is dicat. Rabbi Kimhi mandragoras intelligt, cū dicat esse radicē quę habeat צורת אדם, id est, similitudinē hominis. Atqui & antiqua translatio vocē mandragoræ habet. Rabbi Schelomoh autem interpretatur de pręstantissimo maximeque odorifero ficuum genere: quæ sententia superiori certè contraria est. Sic Doctor Augustinus narrat, à se visa mandragoræ mala. judicium ejus de iis: [Rem comperi pulcram & suaveolentem; sapore autem insipido: & ideò cur eam mulier tantopere concupiverit, ignorare me fateor, nisi propter raritatem, & odoris jucunditatem.] Quod ipsum & dubitare est; & legentes in dubio relinquere: ut non sit promtum quod possit tutò asseverari. Ergò cum res se habeat ita; colligitur jam, explicationem generis onomastici tenere, non esse de necessitate salutis. manet enim plerumque dubium, quomodocumq; tandem explicetur illud: at dubia esse non debent, quæ scitu sunt necessaria ad salutem. Quòd si hominis

In Levit. c.11. — *Luth. in marg.* — *Hieron. sup. Epist. ad Tit. c. 3.* — *Sent. C.* — *Gen. c. 30. v. 14.* — *R. Kimhi.* — *Cont. Faust. l. 22. c. 56.*

ſaluti infallibiliter eſſet annexum; pleriſq; in Eccleſiâ interpretum eſſet æterna carendum beatitate: in tam obſcuris enim ſinguli ferè adverſantur ſingulis. At plus uno non poteſt eſſe verum. Ecce paradeigma: neminem privabit ſalute æternâ, atque ideò nec cogenda eſt
Ion. c. 4. Synhodus, ſi vel ignoretur, quid apud Jonam ſit קִיקָיוֹן (κικαjon) eſt e-
v.6. nim incertum, quid tandem ſit. Septuaginta vertũt (coloquintham.)
Sept. Rabbi Abraham vult eſſe cucurbitam: tametſi dicat idem magiſter:
R. Abrah. [Non eſt via ad ſciendum, quid ſit.] Rabbi Schelomoh autem docet:
R. Schelom. [Eſſe genus herbæ magnæ, ſupernè habens ramos multos, quibus
B. Hieron. obumbrat.] Et Hieronymus: [Eſſe arbuſtum, cujus appellationem ſermo Latinus non capiat.] Iraſcebatur Jonah, cum ſentiret exareſcere cicajon: nos non iraſcamur, tametſi & nobis exaruerit, cum per ignorationem ejus haud periclitetur Eccleſiæ ſalus: ut nec Reſpubl.
Demoſth. Græcorum propter inconditam aliquam Demoſthenis vocem. Ita
cont. Æſch. & de quarto genere locorum ſacrorum. Et ſatis.

Atque hæc dicta ſufficiant de quatuor generibus ſacroſanctorũ effatorum, ad quorum unum referri poteſt, quicquid ſacer codex legendum offert: ubi nimirum, (ut repetam perpauca) & res, & verba proſtant; ibi dictum eſt elementare: ubi res eſt clara, nec verba; dictũ ſublime. ubi lucent verba, nec res; ſummè myſticum · ubi latent & verba, & res; prodit onomaſticum. Primum & ultimum opponuntur; nõ pari tamẽ prorſus ratione. claritas eſſe poteſt & uno in membro ſententiæ; & in ſententiâ universâ. Claritatem autem intelligo univerſalem. At univerſalis obſcuritas tamtùm poteſt eſſe in aliquo orationis membro, nec in integro pronuntiato. De duobus autem intermediis ſciendum hoc; eſſe poſſe ea genera, quà obſcura, & in integro effato: quod Dialectici ita appellitant propriè, tametſi rarius: & in aliquo effati membro, quod accidit frequentius; quod ipſa docet res: ut diuturna obſervavit experiẽtia. Hęc eſt, ô bone, quiſquis es, arx illa, unde ſternetur nobis hoſtis, ſi adſit is commeatus, quem in ſubſequentibus advehemus. Et animoſus non ſim ego, qui teneam hãc arcem? Satanas pudefiet; ſi oppugnabit. Σὺν τῷ δικαίῳ μέγ' ἔξεστι φρο-
Soph. in Aiac. νεῖν: [Cum jure licitum eſt ſublime ſapere:] ait Tragicus. Cur non & mihi, cui ſuffragatur DEI jus? In hac verò munitione, Piſtori adverſarie, me reperies: heic enim te opperiar. Quod tu mihi oſtentabis
Περιφώνησις Sacra. propugnaculum? ſylueſtres tumulos: lacera caſtra. ô quàm benè mihi! ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον: [Effugi malum; repperi bonum:] acclamabant

bant olim profanis myſteriis: ego veris, quæ in Scripturâ omnium veraciſſimâ. Exſpecto, Piſtori, ut & tu dicas. Si poſſes, quàm velles! Ecce Scriptura: quid tu? vince hac; ſi potes: aut eidem præbe jugulum.

CAP. VI.

Ἡ ἐργασία *illius generis: quod appellatum* τὸ ςοιχειῶδες.

ET adhuc pars prima hujus ſcriptionis; ſequatur ſecunda. Judicabis, Piſtori, eximium eſſe, quod dixit aliquando Diogenes: Δεῖ τὸ ἄρισον ὑπὸ τοῦ ἀρίςου τιμᾶσθαι, καὶ τὸ ἄρχον ὑπὸ τοῦ ἀρχομένου: [Optimum ab optimo eſt colendum, & quod imperat, ab imperante.] Hoc ad nos applica, & ad rem, quæ modo agitatur. Optimi ſumus, qui ſumus Chriſtiani nominis: nulla gens felicior. qui ergò major in univerſo terrarum orbe? Tùm vero divinâ paginâ quid eſt excelſius? cum nihil ſit omninò, quod DEI voluntatem edoceat nos; ſi ab eâ, quæ ſola verax, ſit diſceſſum. Quò magis, ô mire, tuum equidem demiror caput; qui magnus haberi vis, id eſt, Chriſtianus; & tamen quod magnum eſt, qualis Scriptura κατ᾽ ἐξοχὴν, magni certè haud facis. Quid ego de te cenſeam? cum ſuavis homo cenſeat: [Jure illum à Deis proximum haberi, per quem Deorum majeſtas vindicatur.] Negabis mihi, te floccipendere DEI reſcripta. Fruſtrà negabis ei, cui aliud certum. Et nega: nolle te Scripturam audire, niſi per interpretem tuum: id quomodo cedat in honorem Scripturæ, nondum video. Quæſo te: qui tibi placet interpres? Eccleſia, breviter. Nimis breviter: Eccleſia quæ? Pontificia propriè. Hujus tu es ſurculus; itaque eſt una tecum. Ego contra te, & in te contra illam quoque excipio: an non pœnitet te & mentis & frontis? Ut fatear, quod verum: riſi certè, cum illa cogitatio animum ſubiret meum, & neſcivi, utrum iniquitatem potius tuam, quàm ſtultitiam deberem mirari. Iniquitatem quidem: quòd tuos conſtituas judices, qui rei mihi ſunt, & Reipubl. Chriſtianæ univerſæ. Ego iſtud abnuo tribunal. præſumtio enim, ipſum explicaturum legem ita, ut ipſius conſulatur honori. Stultitiam autem: quia poſtulas, ut me ſubjiciam ſententiæ ejus, quem ego in hac cauſſa accuſo. Et me vocitato ſtultum (non recuſo) ſi contendam, eum ſenſum de Scripturis tenendum, quem Lutherani doctores iiſdem

Diog. Stoic. ap. Stob.

Iuſt. Hiſt. 8.

adſcribant. Siccine deſperatum te eſſe! an non indignum Christiano? Non vis diſputare mecum, ſi naribus admoveam tuis ſolum Sacræ Scripturæ odorem. Perinde facis, ac ſi juriſconſultus negaret, cauſſam ſe obtinere poſſe, niſi aboleatur jus & naturale & civile. Vis diſputare; ſi permittam, ut tu tuique interpretentur: & ſanè facilis tibi victoria fuerit, ſi annuam. Ubi de vaccâ ſermo; vaccam aſinum eſſe dices: ubi aſinus; vacca audietur: ubi Petrus; ibi tui: ubi tui; tuos eſſe negabis illicò: Petrum introduces, qui alios eſſe, demonſtret. Ita vinces; omnes vincentur. at iniquum, & inauditum etjam profectò. volo judicari judice, qui non ſuſpectus. in te hæc non eſt æquitas. Tempora hujusmodi cur nō accuſem, & eos, quos tulêre, cum miſera dederint? Pleraque, etjam hoc addidere abſurdum: in hac religionis lite aut ſtandum eſſe reorū judicio, aut nullum fore judicium. Dementē perfidiam! divinitus compeſcare, quę divina haud erubeſcis! Audiant ſaltem auguſtum Auguſtinū è libris graviter clamantem: [Non affe-ramus ſtateras doloſas, ubi appendamus, quod volumus, & quomodo volumus pro arbitrio noſtro, dicētes; hoc grave eſt; hoc leve eſt.] Si contabuntur; ipſis iraſcetur: & quod olim Petiliano, jam Italicæ Eccleſiæ objiciet: [Remotis omnib. talib. Eccleſiam ſuā demonſtrēt, ſi poſſint; non in ſermonibus, & rumoribus Aphrorum, non in conciliis Epiſcoporum ſuorum, non in litteris quorumlibet diſputatorū, non in ſignis, & prodigiis fallacibus:] & quæ ſequuntur; cum verè & noſtris Pontificiis ſint ſcripta, & relicta.

Auguſt. De Bapt. cont. Don. l. 2. c. 6

Idem, De Eccleſ. unit. c. 10.

Cauſſa hæc ut eſt ſumma, ita ſummo coram judice diſceptabo eam; neque è cælo deducam eum in terram, qui hominibus hac tempeſtate non loquitur: ſed conſulam ea oracula, quæ jam pridem apud mortales depoſuit. qui promulgavit ſacras tabulas; eaſdem exponat: & certi ſumus futuri de eo, quod quæritur. penes enim dicentem dictorū ſit explicatio, ut totus teſtatur mundus. Ergò agemus de explicatione Scripturæ genuinâ; cujus aſſertio hujus loci videtur eſſe propria. τὴν μίξιν appellare poſſis locorum Scripturæ, ſi appellatio iſthęc doctorum aurib. eſſet trita. miſcentur enim inter ſe Scripturæ dicta; quâ mixtione facilia explicant, difficilia explicantur. Atqui ut ordine illuſtri, unde rei præcipua lux, procedat hæc noſtra lucubratio: ſingula genera Scripturæ ſacræ, quæ in ſuperioribus tractata, huc revocabimus; & videbimus, ecquæ inter ea aliis poſſint imprimere lucē; quæque ab aliis fructuosè queant illuſtrari. Et quia genus Scripturæ

τὸ συ-

τὸ στοιχειῶδες ex naturæ decreto primum ſuprà eſt factum; primum etjam ſit, quod ęſtimetur, quid in Scripturę enarratione habeat momēti. De eo ante omnia eſt affirmandum: Quòd, cum illud ad explicādum præcipuam habeat vim; explicari per ſuperius aliquod nec debeat nec poſſit. Quid ſit iſtud, per ſe clarum; at quatenus valeat, paullò explicabo inferius. Hîc dixi, genus elementare explicari nec debere, nec poſſe. non poſſe; quia luce Scripturæ hac nihil lucidius vel intra, vel extra Scripturam: non debere; quia nemo conetur aſſurgere ſupra id, ſupra quod aſſurgi haud poteſt. Gnarus ergo Scripturæ ſacræ vir, & juxtà ſuarum virium memor, non nitetur ſolem illuſtrare, nec undam porriget mari. Hoc quippe ei obverſabitur; ſi claror huic ſacræ paginæ generi ſit inferendus, ſplendor hic petendus fuerit aut ex ipſius Scripturæ penitralibus, aut ex iis, quæ ſunt poſita extra ejus pomœria. Ex Scripturæ traditionibus non poteſt haberi illuſtrior lux, cum maxima claritas huic ſit vindicata generi. at omnis explicatio contingit per dilucidiora, de quibus copioſè ſuperius eſt diſputatum. Nec poterunt Scripturam explicare, quæ extra illam ſunt collocata. quid enim omnes illuſtrandi methodi; ſi cum Scripturâ conferantur? inferiores ſunt, ac infantiores, quàm ut tantam lucem queant efficere lucidiorem. Excipio tamen Digitum DEI, qui mentis oculis poteſt oſtendere, quod ipſos antea procul fugerat. quamquam hoc illi ſolemne, ut aliquid ex Scriptura arreptum noſtris exhibeat oculis; ac eo, quod obſcurius, nobis enarret. Si quid præterea eſt, quod illuſtrare poſſit, Ratio eſt. firmius enim rem probat, quàm res alia ulla. At enim nec illa poteſt quicquam ut in hoc; ita nec in aliis dictorum ſacrorum generibus. inepta enim eſt certè ad hanc provinciam ſecundum quantitatem, & qualitatem. Quantitas rationis non patitur: eſt finita; rerum finitarum: immò parva; rerum parvarum: ergo non enavigabit illud, quod infinitum: ergo magni illius nō erit capax. Qualitas impedit. eſt enim à tam divinis averſa, prorſus cęca: ergo ad divina enodanda ex ſe, ſe non convertet; ergo etjam converſa ad ea, nō ea videre poterit. Atque hæc ſi perpendemus aliquantò altius; divinum hinc audiemus conſilium: immò præceptum nobis dabitur, quod ſine ſacrilegio haud poteſt violari. illud eſt: Non aſſuendum Scripturæ ſimplicitati, quod nobis noſter ſolet ſuggerere genius: ſed exſpectandum, quid illa velit intelligendum. Exſpectemus periculum, ſi violemus. qui ſcimus, dictū eſſe in Pſalmis: [Num

ſociabitur tibi ſoliũ iniquitatum, fingens moleſtiam pro jure.] Ter-
Pſalm. 94. v. 20. reat nos vox Apoſtoli, qui dicit: [Diſcatis in nobis ſupra id, quod ſcri-
1. Cor. c. 4. v. 6. ptum eſt, non ſapere.] Quòd ſi tentemus vel ſenſa noſtra Scripturis
importare, ſtomachus Athanaſii, qui Anomæum Arrianum lanci-
Athanaſ. Cont. An. Dialog. 2. nat, & nos continget quoque: [Ἁρπάζειν δεῖ, (ait ille) οὐ τὰ ἄγραφα, ἀλλὰ
τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν. Arripere non decet, quæ non ſunt ſcripta; verũ
Chryſoſtom. Hom. 13. ſup. 1. Cor. c. 2. regnum cælorum.] Gravis erit & vox aurei illius oris; quæ ita cõpel-
lat nos: [Παρὰ τῶν γραφῶν τὰ πάντα πυνθάνεσθε; E Scripturis omnia quęrite.]
Et Scripturæ evidentiam non eſſe commaculandam polluto noſtræ
Clemens, Epiſt. 4. rationis diſcurſu; ecce hunc: [Non ſenſum, quẽ extrinſecus attuleris
alienum, & extraneũ, debes quęrere, aut quomodo ipſum ſcripturarũ
auctoritate cõfirmare poſſis: ſed ex Scripturis capere ſenſũ veritatis.]
Hilar. De Trinit. l. 1. Et aliũ, qui prorſus divinus. ait enim. [Optimus lector eſt, qui dictorũ
intelligẽtiam exſpectet ex dictis potius, quã imponat; & retulerit ma-
gis q̃ attulerit: neq; cogat id videri dictis cõtineri, quod ante lectionẽ
præſumerit intelligendum.] Quæ hactenus; ut via ſterneretur ſubſe-
quentibus. Quid ergo? inquies mihi, nullamne prorſus in elemen-
tari genere admittis explicationem? Utique verò, ſi forent homines,
qui eſſe deberent, attenti, & ſedoli, labor is, qui huic generi impen-
ditur, reliquis Scripturæ obſcuræ dictis poſſet reſervari: verum quia
eſt ſecus, & quoquo modo auditor peregrinabundus exſuſcitandus;
reſtat quid, quod ſi & huic addatur generi, majori cum utilitate audi-
entium poteſt percenſeri. Atqui verò ut probem tibi germani ordi-
nis amorem meum: dico ego, & ſigna & ſignata hujus generis admit-
tere aliquam lucem, ſi ad rude rerum ſacrarum vulgus reſpicias: [Si-
gna nimirum ſignificãt eximiè, ſi, quæ propria eorum ſit vis, ab enar-
ratore indicatur.] Vis enim hæc in proprietate vocum latens, maxi-
mè hanc Scripturæ lucem auget, ſi penitius inveſtigata eruitur: per-
inde certè, ut lumen ſit amplius puriuſq;, ſi ellychnium, quod Græci
vocant, dirimatur ac explicetur penitius. At exemplum. Quam exi-
Matth. c. 2. v. 19. miè deſcribitur Joſephi pietas, quando apud Matthæũ dicitur, quod
noluerit Μαρίαν παραδειγματίσαι: Veteri Tranſlatori quidem τὸ παραδει-
γματίσαι, traducere eſt: at minus tamen proprie. παραδειγματίζειν enim
eſt ignominiæ exponere aliquem: facere nimirum exemplum diſci-
Polyb. hiſt. l. 2. plinæ (ut Ciceroni probatus auctor) quale accidit Ariſtomacho Ty-
ranno: qui dicitur in Peloponneſo circumductus, καὶ μετὰ τιμωρίας πα-
ραδειγματιζόμενος: [Irrogatâ pœnâ factus exemplum.] Ita Joſephus nõ
voluit,

voluit, ut Maria publica aliqua improbitatis nota insigniretur: quod à *traducendi* verbo prorsus est diversum. Immò verò signa magis luminosa futura sunt: si, quæ presse atque concise in scriptura dicuntur, 2.
orationis genere in longum magis effuso efferantur. Alias vocare consueverunt paraphrasticam docendi rationem, quæ multis doctis hominibus placuit apprimè: habetque auctores cum Hebræos, quibus sui sunt Thargumim; tum Græcos, quorũ quidam etiam Aristotelem iis exornaverunt. Eam verò tum te audire dicas, si audis quodam verborum circuitu efferri, quod alibi stricta sermonis serie est relatum. Laudârunt eam quidam in tantum, ut scripturæ interpretandæ convenientissimam methodum existimarent. His sanè nõ repugno, cui res persuadet ipsa: cum sciam, etiã reliqua scripturæ loca hac illustrari posse, si tamen sint prius ad genus elementare reducta. Et heîc paradeigma addatur. Si detur mihi explicandum τῇ παραφράσει illud Psalmi: [Osculamini Filium.] agerem ita: hoc vobis notate à Davide Rege acroama: si numen cupitis habere propitium, & inde æternùm salvari; suavissimum Filium, non meum Solomonem istum (cui tale minimè præstetur, cum haud debeatur eidem) verùm eum, qui æternus ipse, Patrem habet æternum, certatim vero pietatis affectu amate, & ejus in amplexus supra suavitatem suaves frequentes ferventesque ruite. Cum verba sint clarissima: [Osculamini Filium.] tamen hoc modo proposita efficacius tangunt *Psal.2.v.12.*
audientis affectus, cumque ad altiora evehunt. De hac illustratione Scripturæ, quam duobus sumus complexi membris, & sanctus Ambrosius loquitur; quando ait, ita claram esse Scripturam alibi, ut interpres nihil possit adjicere, [Ac si velit aliquid dicere, *Ambrosius.*
Grammatici magis, quàm disputatoris fungatur munere.] Cum quo facit & Lyranus. ait enim: [In aliquibus scripturæ partibus vocabula tantùm esse enarranda: & statim illas intelligi.] Et tantum de *Lyranus.*
signis hujus generis. Cape signata, id est, res ejusdem: & audi, qua ratione queant explicari. Ergo istud teneatur probè: res signis nobis propositas attentè esse contemplandas: si hoc; illud eveniet: aliquid 3.
ex iis poterit elici, quod aliquod nostræ fidei dogma confirmet. At hoc, quod ita ex scripturâ productum est, non minus valet, quàm si totidem verbis in scripturâ exstaret. Hoc modo τὸ ὁμούσιον, quoad nomen, in Bibliis haud est: ita nec vox τῆς τριάδος, atque similium: res tamen his vocibus contentæ perspicuè habentur: quod multis posset

induci. Nempè verò quemadmodum scriptura scriptura esse desinit, si sensu exponatur irreligioso: ita quodcumque ex elementari scripturæ genere consequutione germanâ infertur, pro suspiciendo scripturæ dogmate habendum est: usqueadeò quidem, ut non sit audiendus, qui contrarium temere propugnat. Exsistat heîc Epicuréus quispiam, & contendat, Mundum visibilem hunc esse Deum: ex Poëtâ: [Juppiter est, quodcunque vides,] propterea quia nusquam est scriptum in tabulis divinis: Mundus non est Deus. Urgeatur ratio-
Gen.c.1.v.1 ne, quam promit scriptura sacra: Mundus est divinitùs creatus: non itaque DEUS est: quia DEO non competit τὸ cepisse; multò minùs τὸ creari. Mundus peribit: iccircò DEUS non est: cujus hoc maximè
2.Pet.c.3.v.10. proprium, esse habere numquam defuturum. Probant hæc quæstionem propositam non minus, ac si sacer aliquis auctor diceret verbis perspicuis: Mundus non est DEUS. Quæ cum ita sint, mecum laudabis, quod scio, B. Nazanzenum: qui dicit, quod me dicere jam au-
Theolog.l.5. divisti, hoc est: [Quæ colliguntur ex scripturis sacris, perinde habenda sunt, ac si in illis scripta essent.] Tamtùm videndum: ne assurgat νόθος συλλογισμός: si assurgat; effato sacro nihil juvatur. Cum Nazanze-
In Addit. ad Lyr. no consentit Episcopus Burgensis: cujus tametsi verba agrestia sunt; res tamen valdè sunt eximiæ: ait hoc: [Non ergo verba Apostoli sunt allegorizanda, seu moralizanda, & hujusmodi; sed potius enucleanda, ut ex ipsis veri sensus litterales extrahantur: ex quibus discursivè procedendo multa, magna, & profunda inferuntur argumentativè. Sicut in aliis scientiis humanis ex veris, & certis principiis multa discursivè inferuntur: quæ quidem omnia ad litteralem sensum pertinent, à quo rectè deducuntur.] Atque hunc sensum in sequentibus vocat secundum litteralem: quod facile poterit admitti. Denique
✦ signata generis elementaris in specie pariunt, quæ indicata singulari utilitate ab auditoribus percipiuntur. sic ergo de re scitu dignâ nos erudiunt: præceptum de eo credendo servandoque ingerunt: pœnam juxtà minitantur gravissimam; si vilipendantur: & quoque promissionem porrigunt agentibus decenter. Singula horum quatuor in omnibus scripturæ dictis, quæ integra, possunt haberi per deductionem illam, quæ paullò antè fuerat delineata: quamvis alibi promtius se offerunt illa, alibi minus. Quæ illustratio multò & certior & utilior est, quàm illa, per scholasticos introducta, quadruplex omniũ locorum in scripturâ expositio. Eâ enim effectum est: quod & effe-

ctum

ctum docuit: ut non in scripturâ relinqueretur certum, quod tamen erat certissimum. Vis heic, ut recenseam? & recensebo: cum de his heic propriè possit dici. Primum genus interpretationis vocabatur explicatio litteralis: quâ res intelligebatur secundum litteram. secundum allegoricum: quando per allegoriam exponebatur negocium. tertium, tropologicum: quando res applicabatur moribus instruendis. quartum, anagogicum: ubi materia accommodabatur ad vitam æternam. unde illa vetustatis enunciata μιτρεφανῆ:

Littera gesta docet: quid credas Allegoria: *Rhyth. Vetust.*
Moralis quid agas: quid speres Anagogia.

Lyranus paradeigmatis gratiâ affert vocem *Hierusalem*: quam secundum litteram ait significare metropolin in regno Judææ: allegoricè autem, Ecclesiam militantem: tum tropologicè, animam fidelem: ac anagogicè, Ecclesiam triumphantem: cum cæteris. *De Lyr. Prolog. prim. sup. Bib.* Et tolerari poterat, si quibusdam tantum in locis fuisset adhibita isthæc interpretatio: at singula scripturæ effata his tormentis fuerunt subjecta: quod prorsus intolerabile est. Ego tametsi dixi, quatuor illa superiora ex omnibus locis integris posse haberi: nolim tamen esse auctor, præcise illa undique ut exigantur: tum ne videamur quidvis è scripturâ extorquere; tum ne singula unico modo explicando evadamus ridiculi. Sed & horum aliquod cape exemplum, ut inde mea liqueat de illis mens. occurrat illud magni Apostoli: [Christus est Deus benedictus in sæcula.] *Rom. c. 9. v. 5* in hoc scripturæ prosato primùm est doctrina: Christum esse verum æternumque Deum: contra nefarios illos Ariomanitas: deinde præceptum: hoc omnibus hominibus esse credendum; quia spiritus sanctus hoc dicat: ac comminatio, omnibus certò esse pereundum, qui de illo dubitant; cum sit Christianæ religionis ἐπαῦδις δόγμα: tandem promissio: reservatam esse salutem æternam his, qui hoc aliaque nostræ fidei mysteria firma fide fuerint amplexi. Atque quatuor hæc Paulus comprehendit, quando ait: [Sacras litteras Timotheum posse sapientem reddere ad salutem.] *2. Timoth. c. 3 v. 15.* ut facile intelliget, qui mentem advertet. At eadem expresse recenset Maximus quidam: *Maxim. de Carit. l. 2. p. 24.* tametsi in aliis quibusdam non magnus. Verba ejus sunt hæc: πάντες οἱ λόγοι τοῦ κυρίου τὰ τέσσαρα ταῦτα περιέχουσι, τὰ δόγματα, τὰς ἐντολάς, τὰς ἀπειλάς, τὰς ἐπαγγελίας: [omnes sermones Domini hæc quatuor complectuntur: dogmata, præcepta, minas, pollicita.] Verùm hæc hactenus: jam ad alia.

Recipit genus elementare hunc illustrationis modum, si agas cum rudiore: at quid valeat suæ naturæ vi, etjam cognoscendum. inde enim manifestum fiet, quæ via sit ineunda ei, qui scripturæ penetralia inire cupit, & quæ sint ejusmodi, quę usum armorum sacrorum nobis queant præstare. Utrumque nobis per est necessarium. etenim si negligatur illud, misere errabitur, & magis, quàm in Labyrintho illo celebri sine filo Ariadnes: sin hoc; hostibus nostris, inermibus quidem latrunculis illis, erimus præda. Iccircò primùm sciendum
1. est hoc: Genus hoc scripturæ divinæ τὸ στοιχειῶδες esse instar alphabeti biblici, & esse elementa sacrorum, quæ nisi teneantur præcise, plurima Bibliorum relinqui in caligine. Quemadmodum in omnibus scientiis quædam sunt præ cæteris illustria, à quibus quàm commodissimè potest sumi docendi principium: quod verum nôrunt ii, qui vel aliquamtillum in eis sunt exercitati: ita & in sacra pagina quædam sunt, quæ primum legas, quæ deinde cognoscas: quem ordinem si quis inverterit, is luculentam scripturæ noticiam sibi haud polliceri poterit. quæ enim utilitas queat sperari catechumeno, si prima ejus opera ad lectionem vel Cantici Canticorum, vel Apocalypseωs Jochanneæ temerè adstringatur? Et quis miretur ab illo lectionem scripturæ esse auspicandam; cum illud cæteris perspicuitatis sit caussa? Quod asseveratum volumus sub testibus DEO & Ecclesiæ carissimis: ex quorum numero est antiquus ille Ecclesiæ Doctor, à quo celebre Lugdunum, qui hoc: [Omnis quæstio non per aliud, quod quæritur, habebit resolutionem: nec ambiguitas per aliam ambiguitatem solvetur apud eos, qui sensum habent, aut ænigma per aliud magis ænigma: sed ea quæ sunt talia, EX MANIFESTIS ET CONSONANTIBUS, ET CLARIS SCRIPTURIS accipiunt absolutionē.]

Eirenæus l. 2. c. 10.

Basilius etjam idem dicit: cujus hoc perquam certum, & apertum: Τὰ ἀμφίβολα καὶ ἐπικεκαλυμμένως εἰρῆσθαι δοκοῦντα ἔν ποι τόποις τῆς θεοπνεύστου γραφῆς ὑπὸ τῶν ἐν ἄλλοις ὁμολογουμένων σαφηνίζεται: ea sunt; [Quæ ambigua, & quæ obscurè dicta videntur in quibusdam locis scripturæ divinitus inspiratæ, ab his, quæ in aliis CLARA sunt, illustrantur.] Et quid sibi vult istud Augustini? quod tale: [In omni copia Scripturarum sanctarum PASCIMUR APERTIS; exercemur obscuris. ILLHEIC FAMES PELLITUR; heîc fastidium.] Cui non cedit illud ejusdem Auctoris: [Ad obscuriores scripturarum loquutiones illustrandas DE MANIFESTIORIBUS SUMENDA SUNT EXEMPLA; ut quædam

Basil. in Ascet.

August. de verb. Dom. secūd. Matt. serm. 11.

Idem, De doct. Christ. l. 2. c. 9.

dam CERTARUM sententiarum testimonia dubitationem de incertis auferant.] Cui subdatur & illud quoque, quod ut ejusdem Augustini; ita & juxtà egregium: [Inhærendum est in his, QUÆ IN SCRIPTURIS SUNT APERTISSIMA, UT EX HIS REVELENTUR OBSCURA.] Ejusdem & hoc etjam tritum: [Nil ferè de obscuritatibus sacræ scripturæ eruitur, QUOD NON PLANISSIME DICTUM ALIBI REPERIATUR.] Nec alius sententiæ est, quod prodidit scripto Hieronymus, qui id: [Mos est scripturarum, obscuris MANIFESTA SUBNECTERE; & quod prius sub ænigmate dixerint, APERTA VOCE PROFERRE.] Ex his concinna hæc Doctoris Lyrani cantio est: quam audis in aditu explicationis Biblicæ: [Volentibus proficere in studio sacræ scripturæ necessarium est INCIPERE AB INTELLECTU SENSUS LITTERALIS.] Quæ omnia liquidò commonstrant, dicta elementaria esse principia sacrorum Bibliorum: quod ut demonstratum oportuit; ita & demonstratum est. Hæc si percepimus ritè; & istud quoque inde deducere poterimus: elementare scripturæ divinæ genus esse instar lactis, qui ut facilis est digestu, ita tenellis animis nutriendis cumprimis etjam aptus. Est enim illud facile, & obvium cuivis, quicunque id legit: ergo & simplicioribus erudiendis inservit, qui altiorum nondum essent capaces. Habere autem quædam in divinis Litteris hunc usum, ut videlicet præstent simplicibus, quod lac tenero puello, suprà indicatum; cum dicebatur: Beatum Apostolum lac præbibisse in Christo suis Alphabeticis: ubi adducebatur quoq; illud ad Hebræos: [Non semper circa fundamentum jaciendum posse Doctorem occupari.] ut taceam, quod dicere possem equidem, numquam intellectum iri scripturam sacram ab ullo; nisi alicubi sit manifesta, ac trita. Tota antiquitas valde est liberalis in hoc usu scripturæ dilucidæ commendando: non mihi ejus omnia huc transfundenda; sed audiendus unus & alter est, qui dicant, quod sentiunt omnes. Ergo Augustinus, qui hoc: [Inclinavit scripturas DEUS AD INFANTIUM, ET LACTENTIUM CAPACITATEM.] Itaque lac, & cibus pueris conveniens: quod contendo. Idem vir & hoc habet: cujus pars & superius audita: [Scriptura sic loquitur, ut altitudine superbos irrideat; profunditate attentos terreat; veritate magnos pascat; AFFABILITATE PARVULOS NUTRIAT.] Quod etjam mihi asserit, quod volo. At nostrum illud aureum ex Græcia os quid canit? hoc videlicet: [Scri-

Idem, De Pecc. Merit. l.3.c.4.
Idem, De doct. Christ. l.2.c 6.
Hieronym. in Esa. Com. l.5.c.19.
Lyran. Prolog. sec. sup. Bib.
2.
1. Cor. c.3. v. 2.
Heb. c.6. v.1
August. in Psal. 8.
Idem, De Gen. ad Lit. l.5.c.3.
Chrysost. Hom. sup. Matth.

ptutas & servo & RUSTICO, & viduæ & PUERO, & ei, qui valde imprudens est, faciles esse ad intelligendum, & prorsus expositas.] Tandem & sanctus Hieronymus hoc habet, quod quærimus: quando enim explicat illud Apostoli: [O insensati Galatæ! quis vos fascinavit?] tum subdit: [Paullus usus sermone trivii est: & ut in cæteris, ita & in hoc quoque loco VERBUM QUOTIDIANÆ SERMOCINATIONIS ASSUMSIT.] Ut nemini jam possit esse dubium, alicubi scripturam, perinde ut lac infantibus, nostræ imbecillitati obviam ire. Sequitur tertium, quod habet genus elementare; quando exponit, quæ habent aliquam difficultatem. Ab hoc, ô omnium miserrime Pistori, tibi cave, ut & à subsequenti: si vis, ne frater Sciegus adversum te insurgat. atqui omittere haud possum: utut te sunt sauciatura. est hoc:

Hieronym. ad Gal c.3.

3\. Primam solamque esse probationem, quam subministret genus elementare: ut, qui careat hoc, deficiat probando. Etenim quicquid de Christi religione docendum, hoc docet: nec audiendus, qui aliunde petit probationes. hoc adeò ratum fixumque, ut nemo bona conscientia Christianus jam esse queat, nisi consentiat in hoc: hic murus nobis aheneus est, qui veros Christianos tutatur fideliter, & conterit capita perfida excordium latronum. Huc mihi refer sapientissimum illud regis sapientissimi: quod quoties legit Papisequus, toties ejus exterebrari oculos est necessum: [Omnis sermo DEI IGNITUS: CLYPEUS EST omnibus in se sperantibus.] Cui & Hieremiam annectes, quia eadem cum Schelomoh: hujus videlicet sunt hæc: [Numquid non verba mea sunt QUASI IGNIS, dicit Jehovah: & QUASI MALLEUS conterens PETRAM.] Tum Christianæ militiæ aquilifer fuerit subdendus: cujus hæc prorsus seria: [Si quis venit ad vos; & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec ei Have dicite. Qui comitem habeat eximium illum Hebræorum Doctorem, qui ait: [VIVUS EST SERMO DEI, ET EFFICAX, ET PENITRANTIOR QUOVIS GLADIO ANCIPITI: ac pertingit usque ad divisionem animæ simul, ac spiritus.] Dicat Adversarius, ubi tamta dicantur de mucidis traditionibus? de pseudocatholica sua Ecclesia? in scripturis, inquam: non apud suffenos, quibus prodest tenebrarum incommodum: monstret loca: & advolabo ad ea inspicienda. Mihi & acclamat sacer nostrorum majorum chorus, qui Pharon hanc omnibus Christianis ostentat, atque commendat unicè solam: quod testantur ex infinitis voces hæ aliquot saltem. Principem locum

Proverb. c. 30. v. 5.

Hierem. c. 23. v. 29.

2 Joch. v. 10

Heb. c. 4. v. 12.

locum habeat, vir in Theologia, & in omni scientia liberali præstantissimus, Hipponis illustre illud oraculum: quod hæc: [Nec ea (Donatistæ) colligant, & commemorent, quæ OBSCURE, vel AMBIGUE, vel FIGURATE dicta sunt, quæ quisque, sicut voluerit interpretetur secundum sensum suum: talia enim intelligi exponiq; non possunt, nisi prius EA, QUÆ APERTISSIME dicta sunt, firma fide teneatur.] Idem Doctor docet idem: [Tantò (inquit) quæ magna exsistunt, cautius tractanda sunt; QUANTO SPECIALIBUS AUCTORITATUM TESTIMONIIS NON POSSUNT AD LIQUIDUM ROBORARI.] Aliud ejusdem: [Siquid divinarum scripturarum, earum scilicet, quæ Canonicæ in Ecclesia nominantur, PERSPICUA FIRMATUR AUCTORITATE, SINE ULLA DUBITATIONE CREDENDUM EST. Aliis verò testibus vel testimoniis, quibus aliquid credendum persuadetur, tibi vel non credere, vel credere liceat.] Et id denique ejus auctoris est: [Quod in obscuro loco intelligitur, vel attestatione rerum manifestarum, VEL ALIIS LOCIS MINIME DUBIIS ASSERATUR, sive cum multa tractantur, ad id quoque perveniatur, quod sensit ille, qui scripsit.] Nomino alium: cujus opera in jugulandis Ariomanitis enituit. Est Fœbadius, qui hæc: [Hoc credimus: hoc tenemus, quia accepimus à PROPHETIS: hoc nobis EVANGELIA loquuta sunt: hoc APOSTOLI tradiderunt: hoc MARTYRES in passione confessi sunt: IN HOC MENTIBUS FIDEI ETJAM HÆREMUS: contra quod etjamsi Angelus de cælo annuntiaverit, ANATHEMA SIT.] De Lyra Doctor celebris cum his, ut fere ubique, tam est eximius, conspirat unicè: nam si eum consules, hæc promtè tibi expediteque dicet: [EX SOLO SENSU LITTERALI, ET NON EX MYSTICO, POTEST ARGUMENTUM FIERI AD PROBATIONEM, VEL DECLARATIONEM ALICUJUS DUBII.] Sed veritas hæc etjam per hostium ora erupit: tantum est veritatis robur. Comprobet nobis hoc Aquinatis auditorium; quod defendit, [Non esse confusionem in multitudine sensuum: QUIA OMNES FUNDENTUR IN LITTERALI: EX QUO SOLO LICEAT ARGUMENTARI.] Et quis putet Andradium dicere, quod audies: alibi certè enim oppugnat, quod stre-

August. cont. Epist. Petil. c.11.

Idem, ad. De Assumt. Mar. c.1.

Idem, Ad Paullin. de vid. D E.

Idem, De Civit. Dei. L.11. c.19.

Fœbad. Episc. contr. Ar.

Prolog. secund. sup. Bib.

Cōp. Thom. q.1. a.10.

Andrad. Def. Trid. l.2.

nuè propugnat heîc: [SOLUM SENSUM LITTERALEM SUPPEDITARE ARGUMENTA AD RELIGIONIS DOGMATA CONFIRMANDA.] Quæ sufficient ad impudentiam contrarium deblacterantium restænandam; aut nescio, ecquid sufficere possit effræni illorum libidini. Enimverò si quis de angustiis nostrarum probationum velit conqueri, huic tan-
4. dem respondebit quartum: quo edicitur, genus locorum elementare abunde continere omnia, quæ reposcentur à vitam beatam consequuturis. Certè optarē, ut me totum heîc possem diffundere; quò confunderentur, qui mihi sese opponunt. Non possum: ratio scriptionis id negat: quæ ad subsequentia festinandum monet. At enim qui de me voluerit triumphare, is duplicem hanc mihi cædat aciem: quibus benè multas possem subnectere cohortes. Una est auctoritatum: & altera rationum. Auctoritates primùm sunt ponendæ: inter quas hæ sunt divinæ invictæque: Scriptura sacra perfecta est. Nam ita
Psal.1.v.1. divinus Psaltes: [BEATUS ille, qui in lege JEHOVÆ meditatur die, & nocte.] Unde & alibi: [Doctrina JEHOVÆ PERFECTA,
Psal.19.v.7 restituens animam: testimonium JEHOVÆ CERTUM: SAPIENTES faciens parvulos.] Qui didicerat à Mose: cujus hoc:
Deut.c.4. v.2. [NON ADDETIS ad verbum, quod loquor, NEC AUFERETIS ex eo: custodite mandata JEHOVÆ, quæ ego præcipio
Proverb.c.30.v.6. vobis.] Et auctor fuit, ut Filius Schelomoh scriberet: [NEC ADDAS QUICQUAM verbis DEI: & arguaris, inveniarisq; mendax.] Cum quibus & consonant, quæ habemus in Novo fœdere: qua-
Matth.c.15. v.3. le est illud servatoris: [Quare vos transgredimini mandatum DEI PROPTER TRADITIONEM VESTRAM?] Quod &
Ioch.c.5.v. 39. testatur illud ejusdem: [Scrutamini scripturas: quoniam videmini IN IIS VITAM ÆTERNAM HABERE: & sunt, quæ
Ioch.c.20. v.31. testificantur de me.] Et alibi hoc etjam: [Hæc scripta sunt: UT CREDATIS, JESUM ESSE CHRISTUM FILIUM DEI:
Act.c.29.v. 22. & ut credentes VITAM HABEATIS per nomen ejus.] Quid autem Apostolus Paullus? hoc nempe: NON QUIDQUAM DIXI EXTRA EA, QUÆ PROPHETÆ, AC MOSES PRÆDIXERUNT.] Et suo Timotheo hæc: [Universa
2.Timoth. c.3.v.v.16. 17. scriptura divinitus inspirata est & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in justiciâ: UT PERFECTUS SIT HOMO DEI AD OMNE BONUM

NUM OPUS PERFECTE INSTRUCTUS.] Qui & alio in loco: [Si nos, aut Angelus è cælo euangelizet PRÆTER QVAM QVOD EUANGELIZAVIMUS VOBIS; ANATHEMA SIT.] *Ad Gal.c.1. v.8.* Fuerunt & Petro traditiones invisæ; ut intelligimus ex hoc [Scitis quod nō corruptibili auro, vel argento redemti estis EX VANA VESTRA CONVERSATIONE EX PATRUM TRADITIONIBUS ACCEPTA.] *1.Pet.c.1. v.18.* Quò spectat & illud Beati Jochannis; quod est: [Et hæc scribimus vobis: ut GAUDIUM vestrum sit PERFECTUM.] *1.Ioch.c.1. v.4.* Assurgat jam imperfectum cerebrum, & imperfectionis Scripturam arguat: ἐπ' ἄδηλον adigetur ipsum antè, quàm plenitudini scripturę deesse quid evincat. Subdo jam auctoritates Patrum, quos vocant: qui confutari nō possunt, quando cum superioribus conspirent. Ergò primum ita Eirenæus: [Non enim per alios dispositionē salutis nostræ cognovimus, quàm per eos, per quos Euangelium pervenit ad nos; quod quidem tunc præconiaverunt, postea verò per DEI voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, FUNDAMENTUM ET COLUMNAM FIDEI NOSTRÆ FUTURUM.] *Eirenæ.l.3. c.1.* Qui superius quoq; dixerat: [NON MAGIS IDONEI HI, (Valentiniani, Hæretici) QUAM SCRIPTURÆ: NEC RELINQUENTES NOS ELOQUIA DEI ET MOSEN ET PROPHETAS, qui veritatem præconiaverunt, his credere oportet, sanum quidem nihil dicentibus.] *Idem l.2. c.54.* Hujus & hoc est: [Euangeliorum traditio SOLA VERA ET FIRMA, ET NON CAPIT PLURA PRÆTERQUAM PRÆDICTA SUNT. etenim cum omnia cōposita, & apta DEUS fecerit; oportebat & speciem Euangelii BENE COMPOSITAM, ET BENE COMPAGINATAM ESSE.] *Idē l.3.c.11.* Cui & istud addatur: [Testificatio Lucæ vera, & doctrina Apostolorum MANIFESTA, ET FIRMA, ET NIHIL SUBTRAHENS, neq; alia quædam IN ABSCONDITO, alia verò IN MANIFESTO docentium.] *Idē l.3.c.15.* At Origenes hæc habet; primum hoc: [Circumcisus, & mundus est, qui SEMPER verbum DEI LOQUITUR, & sanam doctrinam EUANGELICIS ET APOSTOLICIS MUNITAM REGULIS profert.] *Orig.in Gen. Hom.3.* Deinde hoc: [Necesse est nobis Scripturas sanctas in testimonium vocare: sensus quippè nostri, & enarrationes SINE HIS TESTIBUS NON HABENT FIDEM.] *Idē In Hierem.Hom.1.* Sic & istud quoque:

Id. in Matt. Hom. 25. [Non debemus ad confirmandã nostram doctrinã nostros proprios intellectus jurare, & quasi testimonia assumere, quos unusq uisq; nostrûm intelligit, & secundũ veritatem affirmat esse, nisi ostẽderit, eos sanctos esse ex eo: QVOD IN SCRIPTURIS CONTINENTUR DIVINIS, quasi in templis quibusdã DEI.] Tandem id: [Si tantus ac talis Apostolus auctoritatẽ dictorum suorũ sufficere posse nõ credit, nisi doceat, in Lege ac Prophetis scripta esse, quæ dicit: quãtò magis nos minimi hoc observare debemus, ut non nostras, cum docemus, sed SPIRITUS SANCTI SENTENTIAS PROFERAMUS.] *Idem Com. Rom. 3.* At Basilius: Τίς ἂν τρόπος τῆς ἐξετάσεως δικαιότερος γένοιτο, ἢ τοῖς διδάγμασι τοῖς παρὰ Πνεύματος ἡμῖν δεδομένοις τὸν λόγον συγκρίνοντας, ὃ μὲν ἂν ἐκείνοις συμφωνοῦν εὕρωμεν καταδέχεσθαι, τὰ δὲ ἐναντίως ἔχοντα ἀπιστεῖν, καὶ ὡς ἐχθρὸν ἀποφεύγειν. *Cont. Euno. l. 2.* [Quæ fuerit justior disquisitionis ratio, quàm si comparatâ istius oratione cum iis, quæ nos Spiritus sanctus docuit, QVICQVID EIS CONSENTANEUM INVENIEMUS ADMITTAMUS, CONTRARIIS VERÒ NULLAM FIDEM ADHIBEAMUS, ET UT INIMICA FUGIAMUS.] *Idem Ibidẽ.* Idem etjam: Καὶ τὸν πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχοντα τὸ τοῦ Χριστοῦ δικαστήριον, καὶ εἰδότα ὅσος ὁ κίνδυνος ἀφελεῖν τι, ἢ προσθεῖναι τοῖς παραδεδομένοις ὑπὸ τοῦ Πνεύματος, μὴ παρ᾽ ἑαυτοῦ φιλοτιμεῖσθαι καινοτομεῖν, ἀλλὰ τοῖς προκατηγγελμένοις παρὰ τῶν ἁγίων ἐφησυχάζειν: [Eum, qui Christi tribunal ob oculos habeat, & nôrit, quantum sit periculũ QVICQVAM IIS ADIICERE VEL DETRAHERE quæ sunt à Spiritu sancto tradita, oportet non esse in rebus suo arbitrio novandis ambitiosum; SED IN IIS, QVÆ SANCTI (Apostoli, Prophetæ) TRADIDERUNT, ACQVIESCERE.] Item hoc: Φανερὰ ἔκπτωσις πίστεως καὶ ὑπερηφανίας κατηγορία, ἢ ἀθετεῖν τι τῶν γεγραμμένων, ἢ ἐπεισάγειν τῶν μὴ γεγραμμένων: *Idem, De Conf. Fid.* [Manifestum est infidelitatis, & arrogantiæ crimen vel rejicere aliquid, quod scriptũ est, VEL ADDERE ALIQUID, QUOD SCRIPTUM NON EST.] Tum istud: Ἡ θεόπνευστος ἡμῖν διαιτησάτω γραφή· καὶ παρ᾽ οἷς ἂν εὑρεθῇ τὰ δόγματα συνῳδὰ τοῖς θείοις λόγοις ἐπὶ τούτοις ἥξει πάντως τῆς ἀληθείας ἡ ψῆφος: *Idem ad Eustath. Ep. 80* [Stemus arbitratu divinitus inspiratæ Scripturæ, & apud quos inveniuntur dogmata divinis oraculis consona, ILLIS OMNINO VERITATIS ADIUDICETUR SENTENTIA.] Sic profectò universa sanctæ Vetustatis corona, in quâ nitet potissimum Augustinus, sup. Joch. c. 2. Tract. 49. Et De doct. Christ. l. 2. c. 9. Item de Bon. Viduit. c. 1. Sic de Baptis. cont. Donat. c. 6. Ac Athanasius in lib. contra Gent. Idem & in Synopsei. Hinc Chrysostomus, in Matth. Hom. 1. Idem in Matth. op. imperf. Hom. 49. Tertullianus quoque cont. Hermogen. hæretic.

retic. Eadem habet in Præscript.adversf. Hæret. Et Hieronymus in Matth.c.13 .Etjam in Hagg.c.1. Et tales quidem erant auctoritates divinæ,& cum his congruentes,accuratæ censuræ. Sequitur approbatio per rationes: quæ Anamnestices fundamento deducẽdæ ex Scripturæ sacræ præscripto: probabunt autem,Scripturam divinam perfectam esse. Si quæras,in quo? respondebo ego,in proprio ipsi officio: quod est,edocere sanctam nostram religionem. hic enim,nec alius est finis Scripturæ promulgatæ: ut helleboro planè sit opperiendus alterandusq;, qui contrarium confidenter propugnat. Quæsitum ergo statuatur hoc: Utrùm Scriptura sacra perfecta? affirmat ex Theologia Logicus: & putum rationis radium sequutus ita procedit: Scriptura perfecta,ex duobus,quæ statuit; quorum 1. quia divina: ex Paullo. Et 2. quia eadem facit sapientem ad salutem; ex eodẽ. *2.Timoth. c.3.v.15.* Et infert sequentia media,quæ probant eamdem quæstionem: ita 3. quia divinum reddunt hominem. Nam agens patiens quodammodo sibi assimilat. 4.Quia sui investigatores facere potest certos.nihil enim certum in sacris est,si à Scriptura discesseris. 5.Quia aperit absconditam Dei virtutem: habet quippè, quæ nulla præterea docet traditio. 6.Quia affectum Dei erga genus hominum exprimit accuratissimè: ubi silet, qui loquacissimus aliâs est. 7. Quia se defendit ab imperfectorum incursu: quis enim Scripturam cordatis vel potuit reddere suspectam? 8. Quia normam tradit Christianè vivendi; quod testabuntur quotquot in cælum sunt recepti: omnes Patres, omnes Matres, omnes & in igne æterno titiones. 9. Quia infinitâ suâ largitate exsaturat bonos: neget hoc, qui vult Deo divinisq; omnibus resignare. 10. Quia sola tranquillat conscientiam: nam si hanc habeo, habeo Dei fidelissimi verbum. 11. Quia spirat sapientiam imperscrutabilem: nemo enim eam undiq; penitravit. 12. Quia ad docendum sacra singulare instrumentum: id ita; nisi velimus humana divinis præferre. 13. Quia ejus consideratio assidua facit beatũ: hactenus nempe,ut præstet reapse, quod ipsa mandavit. 14. Quia à perfectis maximi semper fuit æstimata: denuò heîc omnes Patres,sunt Fratres; omnes Christiani, exceptis prorsus novis Hæreticis,in quos hoc stringimus. 15. Quia ab ea omnia salutis arcana docentur.res loquitur;& comprobabunt sexcenta Vetustatis testata, si quis sit,qui dubitet. 16. Quia omnia divina inde suum petunt robur; aut dicatur,quid sit robustius fortiusq;: sui ipsius mendacium pudeat,quod laceras traditiunculas obtrudit. 17.

Quia prima ejus requiritur auctoritas: si qui hoc negent, cum illis nō amplius, ut cum Christianis, sed ut cum Juliano Porphyrioq;, disputandum est. 18. Quia habentur in ea, quæ perfectissimos in mundo scriptores latuēre: nihil Plato; Aristoteles nihil, si huc referas eorū chartas: at ii tamen naturæ humanæ apices. 19. Quia à piis percipitur supremo omnium cum gaudio. nec mirum: medium enim se offert, quo ad suprema gaudia possit tranare, qui cupiat. 20. Quia tātum ab impiè profanis ejus impetitur majestas: magnum .n. est, quod incusant ceu nullam, qui nulli. 21. Quia exsibilatur ab iis qui manca docent: oderunt quippe illi tamtùm sibi oppositam. 22. Quia ab hac expugnatur malitia: nam hæreses exstirpantur per illam, & quæ jam vigent, & quæ viguēre olim. 23. Quia rejicitur ab his, quæ deducunt ad summam imperfectionem. opponitur videlicet his, quæ mentem perpetuò retinēt dubiam. 24. Quia ejus respectu reliqua sunt instar umbræ. at cum plerisq; ita est comparatum, ut suâ excellāt perfectione. 25. Quia dat, ut, qui docent sacra, docere queant: cum videamus, fideles ad Scripturam sacrā universa sua referre; secus nolunt ipsis haberi fidem. 26. Quia numquam à se dissentit. inter doctrinas hominum nulla est talis: quandoquidem proprium sit mortali, undiq; allucinari. 27. Quia in sempiternum ejus mansura est auctoritas: quod esse haud posset, si alicubi sibi deesset. quicquid enim defectum habet, hujus diuturna haud ætas. 28. Quia amplius Scriptura non est exspectanda. quamquam si scriptifugis Hæreticis credimus, nec Æsopus poterit desperare, ut aliquando annumeretur iis, quæ jam inter scripta Biblica habemus pretiosa. 29. Quia vel in minimis, (ut nobis quidem videtur) magnam ponit operam. cui enim persuaderi possit, inculcari sępius à Scripturâ, quod aliunde posset haberi; & præteriri ea, quæ summè sunt necessaria, nec ex ullis aliis libris addisci possunt? 30. Quia peperit inter gentes Ecclesiam, & partam præclàrè conservat. hoc Augustinus, & totidem ferè verbis. Alterius ergò fuit fidei, quàm nostri illi scriptifugæ. 31. Quia Traditiones molem ædificii hujus spiritalis non possunt sustinere, nec ratio. hæc cæca, ubi videt; illæ variabiles, & auctores habēt tamtum homines: qui si summi, errare peccareque possunt. 32. Quia scriptionum est antiquissima. remotissima enim vetustas bonis præcipuis abundavit: nec obstat, quod Novum Testamentum quibusdā Ethnicorum scriptis sit posterius: antiquitatem enim & illud conse-

quitur; quia antiquiſſimi nil niſi explicatio eſt. 33. Quia ſi defectu quodã laboraret, is defectus nõ poſſet expleri. nihil enim eſt prorſus, quod ipſi eſt ὁμογενής. nam ſi velis admovere τὸ ἑτερογενὲς; ut ſit id vel ſupra vel infra Scripturam, neceſſum eſt: non ſupra Scripturam eſt aliquid: quod infra Scripturam eſt, non poteſt huic ſummo opem ferre propter extremam diſparitatem. 34. Quia numquam exhaurietur, tametſi quotidie haurietur. itaque qui aliquid in ipsâ deſiderat, is aquam deſiderat undis in liquidis: ut ait aliâ de re Poëta. 35. Quia in univerſali mundi cenſurâ illâ fortiſſimè nobis patrocinabitur. ore Chriſti Chriſti aures affabor: [Fruſtrà me colunt mandatis hominũ.] [Habent Moſen, & Prophetas.] quis hæc? Chriſtus Servator: quis me condemnabit, ſi iſtis obſequar? Chriſtus minimè. 36. Quia eſt catecheſis ſcholæ illius æternæ. quam ſi perdiſcamus probè, adſciſcemur verè almæ illi Academiæ. at catecheſin abſolutam eſſe oportet catechumenorum ratione. 37. Quia ſola ſucceſſit colloquiis illis, quæ Deus cum priſci ſæculi hominibus habuit. at iſta colloquia abſoluta fuêre: aliâs ignominia Deo conflaretur: aut quis mihi dicet, Traditiones ſucceſſiſſe? quis tradidit & hoc? ſunt illæ humanæ, inſtabiles, variæ, contrariæ: non igitur illis colloquiis ſuccedere poſſunt. 38. Quia à Spiritu ſancto aſſumitur ad homines de divinis edocendos. quòd ſi verò & aliorum Doctorum verbis alicui Dei notitia cõtingit, ſciri oportet quod verum, Doctorum verba præſtare hęc, quia virtutem Scripturæ divinæ imbiberint. 39. Quia eſt adumbratio ſcientiæ in cælis habendæ. ſcientiæ illi, quam ſperamus, nihil deerit: apti enim erimus ad eam ſuſcipiendam; at hujus formam aliquam in Scripturâ, ceu in ſpeculo contemplamur, quod nobis ſuggerit Apoſtolus. 40. Quia eam refert ratio, quam ſolemus vocitare regeneratam. certè verum; nam quod veritati inveſtigandæ eſt illa ratio; hoc religioni eſt Scriptura: at ratio, quam dico, nihil celat, ſed dextrè ſequentem per omnia ducit. 41. Quia ſummâ bonitate excellit. at ſi tantus hiatus, quantus ſomniatur, in Scripturâ ſacrâ eſſet, bona hoc ipſo nõ eſſet: defectus enim eſt malus reſpectu perfectionis, quæ bona. 42. Quia reliquas ſcientias longiſſimo intervallo vincit. at harum pleraſq; ad ſummum faſtigium conſcendiſſe, affirmant omnes, qui de rebus nôrunt vera affirmare. Beſtiam vocabo, quem Scripturam infra Organum Ariſtotelis abjicere equidem videbo. 43. Quia & Hæretici ejus firmitate ſe protegere ſatagunt. at mancâ probatio-

ne ſua conſtabilire velle haud ſunt credendi. Argumentum hoc Eirenæi eſt; non meum. 44. Quia repellit ab ſeſe, quicquid in ipſam molitur irrepere ſpurium. Fac periculum: ſcribe aliquid: ut pium accuratumque ſit illud, friget tamẽ, ſi velis adjungere lateri eorum, quę verè ſunt canonica. Et per Scripturæ ſententiam liber Paſtoris, neſcio cujus, numquam acquiret divinam auctoritatem. 45. Quia conſcripta eſt ab hominibus ſalutis humanæ ſitientiſſimis. aut forſitan non potuêre integram edere ſalutis rationem? ſi dicat impudentia; ſciat mihi, ipſam non niſi profanas beſtias eſſe lucraturam. 46. Quia novum teſtamentum non eſt inferius Veteri. Vetus autem ſuis numeris abſolutum eſſe conſtat: id uſqueadeò verum eſt, ut Jehudæi quidam fateantur, Traditiones Thalmudicas potius ornatus, quàm neceſſitatis cauſsâ eſſe obſervandas. 47. Quia confluunt in ea reſponſa eorum, qui humani generis fuêre πάλαι φωστῆρες: nemo negabit, qui Chriſtianus. ergò quamtum auctoritatis dabitur humanitus inventis, tamtum ſubtrahetur majeſtati Spiritu ſancto inſpiratorum hominum. 48. Quia Apoſtoli ſua probarunt è Scripturis. nec fidem ſibi haberi voluerunt, niſi quæ dicerent Prophetis conſentanea forent. Chriſtus adeò ſeſe ſubinde ex jam conſcriptis oraculis, Jehudæis pervicacibus demonſtrat. 49. Quia eſt illa αὐτόπιστος, id eſt, ex ſe meretur auctoritatem fidemq;. DEUM tamen heîc excipe, propter quẽ Scripturæ credimus. homines multò inferiores ſunt, quàm ut divina diviniora efficere queant. Hoc Nemeſius: ut ſuprà; & alii ferè infiniti. 50. Quia eſt ipſius DEI vox. nulla ſuperior; nulla alibi expreſſius ſonat: DEUS autem quæ facit, perfectiſſima facit ad id, ad quod ipſa deſtinat: cum in operibus ejus nullus ſit nævus. Pergam nécne? poſſem profectò per veritatem, & veritatis probandæ modũ: non poſſum, ſi rationem habeam præſentis inſtituti. Quid heîc meo faciam Piſtorio? ſi cogam, ut ſumat hanc offam; cor ejus petet hæc, & animâ exſuet cõfeſtim: ſi ſinam, ut hac abſtineat, peribit eſurie, paleis inferni vel exſaturatus.

Ita deflexi. Quid dicturus ſum jam? ejusmodi quid, quod fuerat exponendum ſecundo ſtatim capite: at quia in aliis diſceptandis erat occupatum iſtud, & hoc in capite videbatur concedi locus huic expromendo, quod huc equidem rejeci; jam explanare equidem aggrediar. Eſt illud. poſſet heîc quærere Adverſarius; ecquod ſit tandẽ genus elementare, quod agitemus? cum & illud Jacobi: [Juſtificamur

& per

&(per opera:)tàm possit tueri se ex littera,quàm Paulli illud frequens: [Justificamur fide,absque operibus.] Ubi habeat à me primum illud Augustini: [Impia mens odit etjam ipsum intellectum: & homo aliquando nimium mente perversâ timet intelligere;ne cogatur,quod intellexit,facere.] Verè verum.quantalibet enim in Scripturæ dictis torquendis ludat hominis ingenium scurrilitate; tamen semper supernatat germanus eorum sensus: quem negare,est conscientiæ vim inferre. Habes rationem ex Augustino, cur impii lucem Scripturæ nolint videre:videlicet quòd animadvertant illi,confici se hoc fulgore, prorsus exanimari: ut rusticus ille in Venetiano pharmacopoleio. Et illhinc lacrymæ hæ.ut justæ! Nihil mirum . etjam veteribus illis Hæreticis fuit solemne: perditissimorum Hæreticorum, hoc est ἰδιο-γνῶμος. quæso audi,quid sanctus dicat Eirenæus: [Cum ex Scripturis arguuntur (qui? Hæretici.)in accusationem vertuntur ipsarum Scripturarum,quasi non rectè habeant: (illi? Papistæ:) neque sint ex auctoritate(ô Papistæ!) & quia variè sint dictæ (numquid non hi Papistæ?) & quia non possit ex his inveniri veritas ab his,qui nesciant traditionem.](Nil nisi meri Papistæ.) Et mihi persuadeat quis,ut relictis Israelis fontibus insanos hauriam torrentes, quos quęlibet effundũt fimeta. At enim ut omnis illis eripiatur tergiversandi occasio,recensebo regulas quasdam; quas si intuebere,docebere illicò,quis sit elementaris Scripturæ sensus: non tamen persequar omnes, sed sex tantum has,quæ mihi videbantur habere principatum. Et prima hæc

August. De verb. Apost. serm.13.

Eiren. Advers. Haeret. l.3.c.2.

1. esto: illud elementare Scripturæ dictum censendum est,cui nihil vel directè,vel obliquè invenitur contradicere in reliquâ Scripturæ cõpage. Aliqua heîc observanda sunt: primum,nullas esse prorsus ἀντι-λογίας in Eloquiis Divinis; & si quæ pugnare videantur, tribuendum id esse stupiditati mentis,quæ consonantiam hanc sacram non possit videre. Secundum: videndum esse,utrum proloquium divinum habeat aliquod in speciem sibi inimicum in Scripturâ: divina enim rationi nostræ plerumque adversantur: cujus ratio heîc non habetur. Tertium; directè quædam opposita videri: qualia hęc apud Solomonem: [Ne respondeas stulto,ne ipsi fias similis. respondeas stulto, ne sibi videatur sapiẽs.]Sunt enim τὰ ἀντιφατικά: si respicias prius utriusq; membrum. Quartum; quædã obliquè inter se videri dissidere, verbi causâ: si quis illa conjungat duo: apud Solomonem: [Homo moritur ut brutũ:] apud Paullum: [Christus venit in mundum, ut peccatores

Proverb. c. 26 v.v.5 6.

1. Timoth. c.1 v.15.

Eccles c.3. v.19.

ſalvos faceret:] Si quis de priore ſtatuat, quale ſuggerit littera; is dubitabit de poſteriore: homo enim peccator non verè ſervatur, ſi moritur, ut brutum. Ab his autem duobus, id eſt, à contradictione directa, & obliquâ, quidquid eſt liberum in ſacris, eſt id, quod commodè inter dicta elementaria poteſt referri. Simpliciſſimum eſſe, eadem duo exponunt liquidò: ſimpliciſſimum enim quî non ſit, cui nihil in ſacris poteſt opponi, quod vel ſpeciem habeat contrarietatis; & ex quo nihil poteſt deduci, quod Scripturæ effatis repugnet. Illuſtretur hoc unico exemplo. Legimus in Geneſei: [Creavit Deus Ada-
Gen. c. 2. v. 7. mum ex glebâ terræ:] Sunt inventi, qui hoc de Eccleſiâ exponerent, quam Deus vitâ æternâ coronet, quæ in hoc ſæculo deſpectiſſimæ fuerit fortunæ. Quod in explicatione dicitur, veriſſimum quidem eſt: at genuina hujus loci explicatio haud eſt; cum importetur in textum, non eruatur, ut loquitur eâ de re vetuſtas. Planiſſimæ veritatis ſtudioſus hæc omnia ſumit, ut ſonant per litteram: atque icirco pertinet ad genus locorum, quod Elementare ſuprà appellavimus. Et ratio; quia nuſquam ejusmodi legitur: Deus non creavit hominem ex glebâ terræ; & quia nulla conſequutio ex Scripturâ poteſt texi, quę adſtipuletur huic enunciato: Deus non creavit hominem è glebâ
2. terræ. Secunda regula eſt hæc: Eſt etjam hoc elementare Scripturæ effatum, quod pluribus Scripturæ ejusdem teſtimoniis eſt circumſtipatum. at quæ ipſi videtur repugnare; ſunt pauciora. Id, credo, nemo negabit, qui ſani eſt cerebri: cum & aliâs ſimplicius eſſe conſueverit, quod frequentius eſt obviũ; at abſtruſius, quod ſemel tantum, atque iterum ſe offert. Ergò quod Ariſtoteles de veritate aliquo in
De Cælo. l. 1. c. 3. loco ait valdè eximiè: οὐδ' ἅπαξ, οὐδὲ δὶς, ἀλλ' ἀπειράκις δεῖ νομίζειν τὰς αὐτὰς ἀφικνεῖσθαι δόξας εἰς ἡμᾶς: [Non ſemel, non bis, ſed infinities eaſdem ſententias ad nos pervenire exiſtimandum eſt:] Id & heic edicere poſſumus, & addere, ea ipſa, quæ nos tàm ſæpè incurſant, omninò ſimplicia nos experiri. Cur enim tam notum eſt, quid apud Sapientiæ Antiſtitem, ἡ οὐσία, τὸ συμβεβηκός: niſi quod iſthæc tam crebrè ibidem legantur explicenturque? At heîc ſapientiam Spiritus Dei admirari liceat, qui ut plurimum fuit occupatus in neceſſariis indicandis; & inde perſpicuitatem eorumdem neceſſariorum prodere; ita multum operæ noluit conſumere in his, quæ de ſalute non erant. Unde fit, ut hujusmodi lucem non habeant tam claram, quàm habent, quæ ſubinde in Scripturis diſſeminantur. Quid multis? de Chryſoſtomi ſententiâ

tentia rectè prudenterque statuitur: [Scripturam sacram non esse multiloquam in his, quæ non multum sint necessaria.] At quæ sunt necessaria, subinde ingeminare urgereque consuevit; & dum urget ita, trita efficit, prorsusque familiaria, quæ docet. Quin immò Doctorem Aquinatem perspicuè audimus à nobis flagitare, ut, si genuinam scripturæ velimus habere mentem, comportemus ex eâdem multa ejusdem sententiæ enunciata. ait enim: [Quibusdam sufficit modicum de verbo DEI: sed Apostolus vult, quòd habeamus multa.] Verùm hujus regulæ mentem in dubium vocari posse, haud cogito: quocirca breuior sum in eâ explicandâ; præsertim cum inferius adhuc quædam simus dicturi, quæ cum hisce affinitatem sunt habitura. *Chrysost. Act. Ap. Hom. 15.* *Thom. A. in Epist. ad Coloss. l. 3.*

Tertia sit: Novum testamentum Euangelistarum Apostolorumque ministerio promulgatum lucidius est Veteri illo, ut plurimum typico. Caussa hæc: quia Filius DEI proprio ore in Novo docuit, nec usus est tamtum intermediis personis, uti in Veteri factitavit. quamquam enim aliquoties Patriarchas compellavit ipse: tamen nec frequenter illud nec tam pleno affatu factum est, ac in Novo testamento evenisse videmus. Docuerunt & discipuli ejus, qui triennium & amplius hoc DEI os è carne audiverunt: unde beari potuere omni rerum sacrarum notitia. Ut taceam, divinis his philosophis spiritum sanctum visibili ratione fuisse affusum: qui ipsos (quod servator fuerat pollicitus) in omnem deduxit veritatem. Atqui hoc Euangelii jubar & Esaias vidit, & fideliter prædixit. is enim ita ait: [In die illa clangetur in tuba magnâ.] Tuba magna, lux est Euangeliorum & Apostolicorum scriptorum: quæ micat per universum mundũ, cujus & sonitus exauditur ad fines terræ. De quo splendore & Joel concionatur, quod & in Acta Apostolorum relatum est: [Et erit post hæc (inquit DEUS apud eum) effundam de spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ.] Et hæc spiritus abundãtia apparet in Novi instrumenti libris. in hos.n. contulerunt Apostoli, quę hauserunt ex S. sancti affluentia. Hinc illud Augustini est celebre: [Novum testamentum latebris propheticis occultatur.] Quocirca clarius esse novum Testamentum veteri sane oportet. At audi & Hieronymum: is valde clarus in claritate Euangelii asserenda: [In lege (ait) promittitur; in Euangelio completur: ibi initia; heîc perfectio: in illa operum fundamenta jaciuntur; heîc fidei, & gratiæ culmen imponitur.] Quę omnia comprobant, vera dixisse nos, dum diximus: *5.* *Esa. c. 27. v. 13.* *Ioel. c. 2. v. 28.* *August. ad Bonif. l. 3. c. 4.* *Hieronym. cont. Pelag. Dial. 1.*

Novum Teſtamentum eſſe clarius Veteri. Jam quarta: Parabolæ etiã
4. ſolent eſſe magis perſpicuæ, quàm ſunt res illę, quæ per parabolas explicantur. Res clamat. Parabolæ illuſtrant; res parabolis propoſitæ, illuſtrantur: heîc paſſio; illheic actio. diceret Logicus: actio ſemper validior paſſione: ergo clariores fuerint parabolæ. Adde &, res parabolis expromtas, clariores fieri per parabolas: fuerint ergò parabolæ magis claræ. Propter quod enim unumquodque tale, id ipſum magis tale. Idem poſſet inferre Logicus. Nec obſtiterit, quòd Servator dicatur ſuas conciones parabolis circumſcripſiſſe, ne ab indignis earum notaretur ſalubritas. paratum enim reſponſum habeo iſtud: obſcuritate laborare eas parabolas, quibus nihil ſit ſubnexum, quod hanc caliginem tollat: at faciles perquàm fieri, ſi aſſignetur ἀνάλυψις ζο. Nudæ ſimilitudines impiis illis fuerunt propoſitæ, quibus claræ Chriſti voces erant habitæ contemtim, at nobis explicatæ dantur in ſcripturâ. Semper enim quædam adjuncta viſuntur, quæ, ceu digito, monſtrant, quò reſpiciat propoſita ſimilitudo. Atqui hoc ita habere ſe, teſtatur Hieronymus, dum ita: [More providentiæ ſuæ, Dominus parabolas proponit: ut, qui cæleſtia capere non poterant, per ſimilitudines terrenas audita percipere potuiſſent.] Faciunt & huc pulcrè, quæ Cyrillus, cujus hoc: [Cum à rebus, quas intelligimus, ſimilitudinem, quamvis exiguam, ſupernaturalibus accommodamus; quaſi in ænigmate, atque ſpeculo profunda DEI myſteria quodammodo intelligimus.] Quod oſtenderit, & Hieronymum, & me vera dixiſſe.

Hieronym. in Marc.

Cyrill. in Ioch. l. 9. c. 43.

5. Ad quinctam. In rationem elementarium venit & rerum externarũ expoſitio. Res autem externas voco illas, quæ à Theologia propriè non explicantur, ſed à ſcientiis illis, quibus ꝓximè illæ ſubſunt: quales ſunt res ethicæ, ſeu mechanicæ, & alia proinde nonnulla, quorũ ſingillatim haud poteſt fieri mentio. Cum his ita eſt comparatum, ut facile à nobis poſſint intelligi: verba enim nobis ſunt cognita; & res verbis prolatæ, ingenii noſtri captum non tranſcendunt: cùm quòd per naturam de iis circumferamus κοινὰς ἐννοίας: tum quòd & profanorum volumina de iis copioſe perorant. Sed hæc altiùs repetere forſitan non eſt opus, cum exiſtimem eſſe in confeſſo, ꝙ heic diſſerimus. Notetur tamen heîc iſta Hieronymi ſententia: [In ſcripturis divinis non valemus ea, quæ majora ſunt, noſſe, niſi in ipſis ab Ethica habuerimus exordium.] Neque verò hoc mirum: ſecundum enim Hilarii ſententiam, [Infirmitas noſtræ intelligentiæ cogit ſpecies quaſdam

Hieronym. in proœm Lam. Hier.

Hilar. de Trinit. l. 1.

ex inferioribus, tamquam superiorum indices quærere, ut rerum
consuetudine admonente, ex sensus nostri conscientia ad insoliti sen-
sus opinionem edoceamur.] Sed denique ecce sextam: Nimirum ad 6.
genus elementare posse referri narrationes historicas. Et vix quis e-
rit, qui ambiget. Quemadmodum enim & aliâs historiæ tractatio fa-
cilius multò est studium, quàm severum illud philosophicorum do-
gmatum examen; ita & historiæ sacræ magis obviæ esse solent, quam
disputationes de fidei nostræ capitibus. Rationem Philosophus
quispiam reddiderit: quia in historiis spectetur potissimum τὸ ὅτι:
quod ullo sine negocio possit haberi: in accuratis autem fidei dispu-
tationibus τὸ διότι ferè spectari; ad quod non nisi comtiora ingenia as-
surgant. Ubi mihi notetur hoc: quemadmodum in historicis scriptu-
ræ verba produnt historiam; ita interdum res hæ, quibus historica
veritas absolvitur, significant aliud: unde allegoria profluit, cui &
Paullus aliquando studet. Hinc illud scholæ Thomææ est: [Proprium *In Comp.*
esse scripturæ sacræ: ut & res, & verba significent.] quod tamen sine *sum. Aq. q.*
exceptione haud potest admitti. De rei autem summa & alius non *1. a. 10.*
malè: [Quamquam sermo in sacris litteris plenus sit figurarum o- C. R. TH.
mnis generis: tamen plurimùm inter narrationes rerum gestarum
interest, & inter ordinationes divinas, seu dogmata de naturâ, seu
voluntate DEI.]

Et ita explicatum esto περὶ ἑρμηνείας primi locorum sacrorum ge-
neris. Totum hoc caput, quid habeat momenti ad subsequentia ju-
vanda, is vidit, qui attendit. Nimirum dico, quod & Episcopus Bur- *Burgens. sup.*
gensis asseveravit. quid ille? istud certè: [Expositio litteræ, est quasi *Prolog. prim.*
expositio omnium expositionum sequentium.] Et ne quis dubitet, *post. Lyr.*
quod hoc ab elementari scripturæ effato possit præstari: ait idem vir
alibi: [Constat, quod omnia, quæ de necessitate salutis traduntur cre- *Idem, In re-*
denda, seu agenda, in sacra scriptura sub sensu litterali reperiuntur.] *spons. ad*
Multùm ergò proderit nobis, hujus capitis materiem cognovisse: *Minorit.*
clavis enim est genus elementare, & quæcunq; ritè de eo traduntur,
ad maxima scripturæ reliquæ mysteria recludenda. Canit Sophocles: *Sophocl. in*
Κακὸν κἂν ἐν ἡμέρᾳ γνοίης μιᾷ: [Malum vel una die licet animadvertas:] *Oedip.*
ego autem ita de re præsenti: Uno hoc scripturæ genere omnium
hęreticorum insultus impios efficaciter contundi, penitus confundi: B. T.
quæ & probatissimi Patris sententia est.

Cap. VII.

Ἡ ἐργασία eius generis, quod vocitatum τὸ σεμνόν.

Auguſt. de Ciuit. Dei. l. 16. c. 2.

Recte hæc certè Auguſtinus: [Multa ad fidem catholicam pertinentia dum Hæreticorum callida inquietudine agitantur, ut adverſus eos defendi poſſint & conſiderantur diligentius, & intelliguntur clariꝰ, & inſtantius prædicantur, & ab adverſario mota quæſtio diſcendi exſiſtit occaſio.] Id enim verum deprehendo etjam hoc loco. Numquam ego tam diligenter præſens excuſſiſſem quæſitum, niſi adverſariæ partis ad id me profana coegiſſet petulantia. Nimium illa pravè de tabulis Dei exiſtimat; nimium procax eſt, quando ſe illis anteponit. Quis ferat tetra paradoxa? Scripturam non eſſe neceſſariam: Fabulas Æſopi canonis auctoritate per Pontificem poſſe condecorari? At nobis hoc conducit: excitat enim noſtrum animum, ut ſuſcipiat bonæ cauſſæ defenſionem, ita inquirit in rem ſagacius, ne veritas fiat irriſui. Ergo dum quæritur verum, manifeſtius ſe conſpiciendum exhibet: inde ſolatur ſuos clientes, & iis victoriam pollicetur; & ex adverſo terret hoſtium agmina, quando tanto fulgore eorum oculos perſtringit, atque exurit. Hoc in capite dicere eſt animus περὶ ἑρμηνείας, id eſt, de interpretatione eorum dictorum, quæ certam lucem admittunt. Et eſſe aliquam interpretationem in ſcriptura neceſſariam, manifeſtum cùm ex aliis, tum ex hoc ſolo eſt, quòd quidam à Deo in Eccleſia ſint conſtituti Doctores, quidam Diſcipuli. Sed tamen agetur tamtùm de explicatione illorum effatorum, quæ cum habeant difficultatem aliquam, ad facilitatem poſſunt reduci: quod propriè non cadit in ea ſcripturæ dicta, quæ ad tertium & quartum ſcripturæ genus referuntur. Totum hoc reſpiciunt veriſſima Origenis verba, quæ hæc: [Qui fideliter, & integrè ſacrorum voluminum colligit ſenſum, debet oſtendere, quomodo ea, quæ videntur eſſe contraria, non ſunt verè contraria.] Verum jam ad rem ipſam.

Origen. ad Rom. 3. l. 3.

Germanus ſenſus τῶν σεμνῶν quò felicius haberi poſſit, quædam ad expoſitionem eorum ſunt afferenda: ſine quibus qui in tam auguſta ſecreta irruit, is infeliciter tota hac in provincia ſancta verſabitur. Quocirca quemadmodum primum dictorum ſacroſanctorum genus commune omnibus fecimus, linguam ſancti ſpiritus intelligentibus; ita hoc ſecundum tamtum concedimus illis qui fuerint
1. inſtructi rebus, quas jam ſumus expromturi. Primum eſt: Interpres

hujus

hujus generis qui esse voluerit, DEUM precetur, ut sibi aperiātur oculi & cordis, & corporis, ad pervidenda ea, quibus hæc scripturæ secreta queant reserari. Hoc primum esse volui: cum & præcipuum sit, & anteferendum omnibus illis, quæ subsequuntur. Nullâ verò ratione est omittendū, cum & alia, præsenti negocio multò inferiora, nullo cum successu suscipiantur, nisi antecedat religiosa numinis invocatio. Verum quippe agnoscimus, quod Hieronymus & scripturæ & toti vetustati consentaneè affirmat: [Nisi (inquit) aperta fuerint, quæ scripta sunt, ab eo, qui habet clavum Davidis, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit; nullo alio reserante pandentur.] Quid? ergóne totum hoc in sinu DEI? sanè verò: sed ita, ut & nos ejus queamus fieri participes: nempè DEUS sè sinu hoc effundit suo, si suppliciter eum ejus caussa compellemus. Sic enim alicubi Jacobus: [Si quis vestrûm indiget sapientia, postulet eam à DEO, qui dat omnibus benignè, nec exprobrat; & dabitur ei.] Et hoc, nec aliud vult Augustinus: quem æquum in omnibus habemus. ait enim: [Sanctæ scripturæ non temerarios & superbos accusatores, sed diligentes, & pios lectores desiderant.] Ergò facies haud dubiè, quod ego, quoties profundissimis scripturæ me immergo mysteriis. Spiritum enim sacrum ita salutare sum solitus: *O Flamen! huc sedeto. Immota commoveto. Quæ falsa sint moneto. Quæ vera sint doceto.* Secundum autem est hoc: Qui genus sublime interpretabitur, is sciat, id numquam se ritè præstiturum, nisi integra Biblia perlegerit. Qui Aristotelem profitentur, pluribus docent, neminem posse censeri verum Aristotelis interpretem, nisi qui sciat exactè, quid in singulis libris is auctor doceat. cur ergo non exigatur ab interprete scripturæ, ut universam scripturæ compagem perlustret, antequam ad explicationem difficilium accedat? idque etjam tantò magis, quantò excelsius est Bibliorum volumen Aristotelis traditionibus. Apage verò, quisquis es, qui te profiteris interpretem, nec habes, quod genuinum interpretem habere est æquum: fieri enim non potest, ut cum laude commissam obeas provinciam: minùs ferendus, quam canis, qui clamet, in se descendisse Nilum universum, cum haustum vix obtinuerit ex eodem. Et verò (ut res fiat illustrior aliquo paradeigmate) Eunuchus Æthiops numquam hæsitasset in lectione Esaiæ, ut hæsitasse utique videmus, si habuisset, quod nos jam habemus. Legebat verba Prophetæ Esaiæ, intellegebat etjam: latebat tamtùm τὸ ὑπονοού-

Hieronym. ad Paullin. Epist. 13.

Iacob. c. 1. v. 5.

August. cōt. Ad. c. 3.

Ad Sp.

2.

ὄνομα ἓν αὐτῶν: id est, unum nomen ejus personæ, de quâ Prophetæ ser-
Act.c.8.v.35. mo. Si habuisset Acta Apostolorum, legisset expresse, quod audivit
1.Pet.c.2.v.22. ex Philhippo: esse JESUM. Aut si potuisset legere priorem Beati Pe-
tri Epistolam, quam nos habemus DEI singulari favore; habuisset &,
quo carebat. vidisset enim, ad Christum quadrare, quod indefinitè
Propheta fuerat effatus. Enimverò Timotheus fuit ejusmodi, quē re-
quirimus, scripturæ interpres: habitavit enim in eâ: cum, attestante
ipso Apostolo, sacras litteras à puero nôrit: quæ & ipsum instruxe-
runt ad salutem. Et quod hoc non ad lubitum explicem, Augusti-
num appello; qui suasit, non posse admitti ad interpretationem τῶν
D. August. De doct. Christ. l.2. c.9. σημειῶν, qui tamtum legerit Susannæ gesta, Belisque magnificam illam
expugnationem. Is sic: [Erit divinarum scripturarum solertissimus
indagator, qui primò totas legerit, notasque habuerit; etsi nondum
intellectu, jam tamen lectione dumtaxat eas, quæ appellantur Cano-
nicæ. At tertium: qui interpres scripturæ sublimis esse cupit; is te-
3. neat eas linguas, quibus spiritus sanctus sacros hos thesauros pri-
mùm commendavit. Linguæ hæ sunt Hebræa, & Græca: illâ enim
vetus instrumentum; hac novum exaratum legitur. Et has qui pror-
sus ignorat, aut ab harum gnaris edoceri haud expetit, non dicat, se
certum esse posse in hujus generis explicatione: non dicat, inquam
ego: numquam enim persuaserit mihi, qui sciam, vix ac ne vix quidem
dari posse versionem, quæ veritati originis præcise congruat. Exem-
plis hoc explicemus duobus: uno Hebrææ linguæ ex Psalmo secun-
do: sub cujus finem legimus in vulgata translatione: [Apprehendite
disciplinam:] exhortatio est non mala; sed non illa quam porrigit lit-
tera Hebræa: eo enim in loco David Hebræo-chaldaicè ait: נַשְּׁקוּ בַר:
Psal.2.v.12 [Filium osculamini:] בַר significat Filium, non Disciplinam: & com-
monitio est pia: ut, qui mortales beatè immortales evadere cupiant,
Christum requirant eumque verâ fide amplexentur. Bella minus est,
R. B. immò verò inepta opera, quæ Christum & Lycurgum synonyma
Galat.c.2. v.6. esse satagit persuadere. Alterum sit ex Novo, quod Græcum. Exstat in
Epistola ad Galatas ejusmodi: [Ab iis autem, qui videbantur esse ali-
quid, &c.] Est autem sermo de Petro, Iochanne & Jacobo, Apostolis
F. T. Domini. Exstitit aliquis, qui τὸ *videbantur* explicabat per cerneban-
tur: quasi quorumvis oculis fuerit manifestum, eminentiam quan-
dam hos tres Apostolos præ reliquis habere. At quæ est specula, è
quâ hæc observavit? in fonte est hoc: Ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι: quod
sonat:

sonat: [Ab iis autem qui putantur esse aliquid.] τὸ δοκεῖν, est videri: aliud est τὸ βλέπειν, ἢ ὁρᾶν: quæ propriè videre denotant. Pudendus error, & dignus eruditione Hetruscâ. Quod nos asserimus heîc, asserit & beatus Augustinus verbis disertissimis: quò magis mirandi Miriones, qui Romuli linguæ clamant inesse hunc thesaurum. Augustinus ita: [Latinæ linguæ homines quos nunc instruendos suscipimus, & duabus aliis linguis ad scripturarum divinarum cognitionem habent opus, Hebræâ scilicet, & Græcâ: ut ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas.] Subjungo quartum, quod est: Interpretem instructum esse oportere scientiâ artium liberalium: & quia harum princeps est Logice, ei studium hujus cumprimis commendatur. Habent quidem & reliquæ artes, qualis Physice, Ethice, Historice, Geographice, plurimum momenti: attamen has omnes utilitate Dialectice superat. est enim regula rationis: atque propterea ars docendi discendique, ut alicubi noster Aurelius. Atqui nolo, hæc accipi, quasi Logicen scripturæ præficiam, quasive sacra ejusdem arbitrio subjiciam. apage, inquam: res sacræ non suum hauriunt robur ex arte differendi; sed ex se, & ex DEO. cum enim sint θεόπνευστοι, etjam rectè statuuntur αὐτόπιστοι. verùm Logice veritatem rebus sacris arctissimè innexam accuratè investigat, & immotam è rerum sacrarum principiis constantissimè demonstrat: unde manifestum, quod Logice lucem scripturæ non inferat, sed inventam sagacitate sua undique penitrando illustriorem reddit. Atque hoc exigit Apostolus ille noster; quando monet suum Timotheum, ut se sistat δόκιμον ἐργάτην, [Probatum operarium] ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας: [qui rectè secet sermonem veritatis.] At secare sanè nemo quiverit, nisi qui gnarus est Logices: hæc enim præter alia, rectè dividendi definiendique modum præscribit. Quod & significatum fuerat, si nominatissimis auctoribus credere volumus, per duas illas illustres nôtas *Urim* quippe, & *Thummim:* quarum illa notat *lucem*; hæc *perfectionem*, quibus duæ partes Logices sunt adumbratæ. appendebantur autem pectori summi Pontificis in populo Jehudaico, ut eum commonerent de Dialecticâ, cui præcipua esset ab eo danda opera. Ejus, quod dixi, testē fero Doctorem Augustinum: de cujus sententia Dialectice nullo modo est negligenda. is certè hoc dicit: [Disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in litteris sanctis sunt, penitranda & dissol-

August. De doct. Christ. l.2.c.11.

2. Timoth. c.3.v.13.

August. De doct. Christ. l.2.c.31.

venda plurimum valet: tamtùm ibi cauenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi aduersarium.] Hæc volo mihi teneas, qui aggrediêre explicationem τῶν σημείων: ni tenueris, pendebis inter cælum, & terram, nec ullibi vel habueris, quod tutâ ratione sequare.

Atque his si oculum, qui scripturæ arcana videre debet, probè perpurgaveris; scripturam ipsam mihi intuere atque perpende. Sed tamen mihi consultum videtur, ut suggeram tibi quædam, quæ contemplanda: ut inoffenso pede, quò vis, possis pervenire. Quod dicã, de summis regulis est, quæ tenendæ in omni scripturæ enarratione. *Cont. G.* Tu Pistori, vir bone, censeto heîc, si quis posceret, ut exprimerẽ regulam liquidis verbis in scriptura relictam, qua exponi possit, quidquid in scripturâ sublime, quid judicaveris? Ego sane, si imitari velim in sapientia lumina, appellabo Beanum, qui poscit; appellabo stultum: quòd stolidè habere velit per demonstrationem, quod inductione potiùs acquiri decet. Discát hoc ex unico Aristotelis loco, qui sibi similes habet plurimos apud eumdem philosophũ. Is legitur in Metaphysicis: Ἀποβαίνει δὲ ἐπιστήμη καὶ τέχνη διὰ τῆς ἐμπειρίας τοῖς ἀνθρώποις: [Contingit verò scientia & ars per experientiam hominibus.] Modus exprimitur: Γίνεται δὲ ἡ τέχνη, ὅταν ἐκ πολλῶν τῆς ἐμπειρίας ἐννοημάτων καθόλου μία γένηται περὶ τῶν ὁμοίων ὑπόληψις: [Fit autem ars; quando ex multis experientiæ conceptibus universalis una fit de similibus opinio.] *Metaph. l. 1. c. 1.* Regulas ergo scripturæ intérpretandæ si requiris; universam elementarium locorum turbam ob oculos habeas, ad quam subinde respiciunt. Id nota, & inde regulam statue: feceris hoc, & comparaveris tibi salutare ad invenienda latentia subsidium. Si instet ille in scientiis pipio, & exigat scriptam tot verbis, quot vult, in interpretatione scripturæ aliquam regulam: dico ego, eâ æquitate ipsum hoc postulare, quâ Philosophaster exigere possit, ubi tandem, & quâ naturæ in parte istud tot verbis descriptum legatur: [Ignorata naturæ motione, ignoratur ipsa natura.] Exsibilandus hic sapientibus est, & monendus, ut reversus Anticyris, per singula naturæ miracula ambulet; & videat, ubique esse expressum hoc, quod aliquo tamtum in loco legere cupit. Verumenimverò cum spiritus DEI, per Prophetas atque Apostolos loquutus, prævidisset, fore aliquando in terris μωρολόγους τινάς, καὶ μωροσόφους: ex suæ facilitatis abundantia perscriptum in divinis Litteris relinqui voluit, quod isti tamtâ immodestiâ efflagitant,

tant, & reponere infallibiles regulas, ad quas inter explicandum esset respiciendum. Totum ideo; ne illi ineptè mali aliquando excipiant, se coactos fuisse carere his, quæ certè ubique in sacris prostabant. Eos Canonas, Spiritu sancto clementer fauente, jam subducam, expromtos ex DEI immoto verbo; ut qui luce perspicuâ gaudent, sint visuri viam expeditam, quâ initâ observataque, queant adire remotiora illa Scripturæ vireta. Ergò prima regula esto hæc: Ita explica quod in Scripturâ occurrit arduum, ut inde exædificetur conserveturque caritas. Exstructa est regula hæc ex dicto Apostoli, ita loquentis suo Timotheo: [Finis præcepti est caritas, ex puro corde, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ, à quibus cum aliqui aberrâssent, deflexerunt ad vaniloquentiam.] Caritas autè hæc cum DEUM tum proximum respicit: ut & dicatur hoc dicto, quæcunq; dicantur in Scripturâ, ea vel nobis præcipere DEI amorem, vel tradere beneficentiam erga proximum. Exponit id & sanctus Augustinus hoc modo; quãdo ait: [Finis præcepti est dilectio, & ea gemina, id est, DEI & Proximi.] Et quid Servator ipse? numquid hæc duo mandata, cõpendium totius Scripturæ liquidò asserit? aperta enim hæc ejus est vox: [Ab his duob. mandatis (de amando DEO, & diligendo proximo) tota lex, & Prophetæ pendent.] Ubi Lyrani scholion habet: [Propter hoc omnia mandata legis, & monitiones non sunt, nisi quædam explicationes istorũ duorum mandatorum: quia omnia ordinantur ad dilectionem Dei, & proximi.] Ergò qui dubia Scripturæ dicta ita explanat, ut doceat, Deum esse amandum, diligendumq; proximũ, hoc est, Deo suum esse tribuendum, suum item & proximo; is dicat, (quod verum) habere se explicationẽ ejusmodi, quæ nec DEUM, nec Ecclesiam offendit. Quâ de re notanda eximia Augustini sententia est: vehementer enim nostram sententiam confirmat. [Quisquis Scripturas divinas vel quamlibet earum partem intellexisse videtur, ita ut eo intellectu non ædificet geminam istam caritatem, DEI, & proximi; nondum intellexit. Quisquis verò talem inde sententiam dixerit, ut huic ædificandæ caritati sit utilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille, quem legit, eo loco sensisse probatur; non perniciosè fallitur, nec omninò mentitur.] Simile habet & Maximus: sonat enim ita: Ἅπας ὁ σκοπὸς τῶν ἐντολῶν τοῦ σωτῆρος, ἵνα ἀκρασίας καὶ μίσους τὸν νοῦν ἐλευθερώσῃ, καὶ εἰς τὴν αὐτοῦ ἀγάπην, καὶ τοῦ πλησίον ἀγάγῃ· ἐξ ὧν τίκτεται φέγγος τῆς κατ' ἐνέργειαν ἁγίας γνώσεως: hoc est: [Universus scopus præceptorum Servatoris est, ut

Margin: 1. | 1. Timoth. c. 1. v. 5. 6. | August. De doct. Christ. l. 1. c. 26. | Matt. c. 22. v. 40. | N. Lyr. sup. Matt. c. 22. | August. De doct. Christ. l. 1. c. 36. | S. Max. l. 4. p. 65.

mentem ab intemperantiâ,& odio liberet,& ad ipsius dilectionem & proximi adducat: ex quibus producitur jubar sanctæ scientiæ,quę efficax.] Prima regula. Secundam ita libet proponere: Ita interpretare Scripturæ sublimitatem,ut interpretamentum inserviat liquidò illustrandæ gloriæ Christi. Itaque cum quo ita est comparatum, ut honorem Christi destruat: id usqueadeò esse non potest Scripturæ ingenium,ut potius,vel tui cerebri eidôlum,vel Satanæ suggestus sit statuendum. Neque verò ulli Christianorum mirum accidere debet, quod heîc est asseveratum: scit enim,qui aliquid saltem de Christo salutare scit, Christum esse scopum illum, ad quem Spiritus sacer ore Prophetarum atque Apostolorum collineet. Hinc est,quod ipse divinè effatur apud Jochannem: [Ego sum via,veritas,& vita·] ergò per eum eundum;ergò ad eum eundum;ergò in illo acquiescendum. At Augustin. alicubi pulcrè, quod assigno: [A Christo aggrediendū, & exordiendum est iter omnibus,qui ad veritatem pervenire, & in vitâ æternâ permanere desiderant. sic enim ait: Ego sum via,& veritas,& vita, hoc est, per me venitur; ad me pervenitur; in me permanetur.] Petrus autem quàm magnificus, quando Cornelium Centurionem catechissat! hæc enim loquitur: [Christo omnes Prophetę testimonium dant, remissionem peccatorum per nomen ejus accipere omnem,qui credit in ipsum.] Et denuò magnus Augustinus: [Omnes promissiones DEI (ait) in Christo formatæ sunt, quando in illo completum est,quicquid pro salute nostrâ prophetatum est.] Dicant ergò Papochristiani, beatos cælites esse invocandos, & afferant fortè etjam sententiolam Scripturæ,quæ hoc videatur comprobare: respōdebo ex hac regulâ,detrahi heîc Christi majestati,qui solus velit invocari: atq; propterea exponendū esse hoc dictum, ut Christo tribuat,quod illi debetur. Si obblacterent,honorari eundem in sanctis,si invocentur; volo,sciant, probari Scripturâ haud posse, quod Christus hunc sibi præstitum velit honorem in Sanctis;& parum cōsuli honori Principis,si aula plures habeat cultores,quàm ipse,qui est aulæ caput. Hinc tertia audiatur regula, quæ hæc: Interpres σοφῶν, admove Scripturam ipsi Scripturæ; & facilis Scriptura efficiet,ut difficilis facilis fiat. Dent Bibliomisi constantiorem certioremque interpretationem, dent inquam,& vicerint. Proferunt sanè illi aliquas. at quas? quæ risum (Christe attestare!) Christi studiosis movere solent;& quarum vel impudentissimam Laida pudere possit. interim tamen

2. | Joch. c. 4. v. 6. | August. De doct. Christ. l. 1. c. 34. | Act. c. 10. v. 43. | August. sup. Psalm. 71. | 3.

tamen Catholici ſunt, nempè abſque Cacolycorum nomine. Interpretatio Scripturæ per Scripturam, quam Chriſtiani ſolùm tueātur, ex ipsâ Scripturâ ſtabilitur: & præterea eſt tanta, ut, niſi conſtans ſit illa, nulla, quæ conſtans ſit, dari poſſit. Et quidem Scripturam per Scripturam eſſe interpretandam, Paullus ille noſter docuit: [Spiritus Prophetarum Prophetis ſubjecti ſunt.] Si excipias, per alteram vocem *Prophetarum* poſſe intelligi Eccleſiæ Miniſtros; poſſum cōcedere; ſed hactenus, ut dicam: Eccleſiæ Doctores fieri Prophetas, ſi ex Prophetis ſua hauriant. Conſentit Petrus; ille Petrus, cujus pallio ſe volunt contegere Pſeudopetreani. is hoc: [Illud primum noveritis, nullam Scripturam eſſe propriæ explicationis.] Sola interpretatio per Scripturam, nō eſt propriȩ explicationis; extra eam quæ ſunt, ἰδίαν ἐπίλυσιν impudenter ingerunt. Si dicant, ſe afflari Spiritu ἀμέσως exſpectent volo, ut os illorum tam inſolens ſim obverberaturus. At forſitan primi ſumus, qui iſtud ſentimus? nempè ſi primi ſumus, qui Chriſtiani: at numquam viduus fuit Chriſtus; numquam nulli, qui nobis expreſſè adſtipularentur. Paucorum percenſebo ſententias; quum poſſem quam plurimorum. At putant ſcripturarii Hæretici, obſcurum eſſe, quod antiquiſſimus docuit Eirenæus? Eirenæus ita: [Si ſecundum hunc modum, quem diximus, quædam quidem quæſtionum DEO commiſerimus, & fidem noſtram ſervabimus: & omnis Scriptura, à DEO nobis data, conſonans nobis invenietur, & parabolæ his, quæ manifeſtè dicta ſunt, conſonabunt, & manifeſtè dicta abſolvent parabolas, & per dictionum multas voces, unam cōſonantem melodiam in nobis ſentiet.] Audiant denuò eumdem virum: [Quoniam his annuntiationibus (ait) Paulli omnes Epiſtolæ conſonant; ex ipſis epiſtolis oſtendimus apto in loco exponentes Apoſtolum: nobis autem collaborantibus his oſtenſionibus, quæ ex Scripturis ſunt, & quæ multifariè dicta ſunt, breviter, & compendioſè annuntiantibus: quoniam oſtenſiones, quæ ſunt in Scripturis, non poſſunt oſtendi, niſi ex ipſis Scripturis.] Adeſto & Tertullianus quoque: hujus alicubi eſt hoc: [Exſurge veritas. ipſa Scriptura tuas interpretare ſententias, quas conſuetudo non novit; ſi enim nôſſet, numquam eſſet.] Cujus & iſtud eſt: [Non periclitatur Scriptura, ut illi de tuâ argumentatione ſuccurras, ne ſibi contraria videatur: etenim ſibi ſufficit.] Auguſtinus autem, nullam interpretationem eſſe præſtantiorem, diſertè edicit. ejus eſt hæc ſententia: [Per Scripturas di-

1. Cor. c. 14. v. 34.

2. Pet. c. 1. v. 20.

Eiren. adv. Hær. l. 2. c. 47.

Idem. adv. Hær. l. 3. c. 12

Tertull. in lib. de virg. veland.

Idem, in lib. adv. Prax.

Auguſt. De doct. Chriſt. l. 3. c. 28.

vinas multò tutius ambulatur, quas verbis translatis occupatas, cum scrutari volumus, ut hoc inde exeat, quod non habeat cōtroversiam; aut si habet, ex eadem Scripturâ, ubicunque inventis, atque adhibitis ejus testibus, terminetur.] Qui &, quomodo hoc esset peragendum,
Idem, De doct. Christ. l. 3. c. 26. superius explicârat verbis his: [Ubi apertius res ponūtur, ibi discendū est, quomodo in locis intelligantur obscuris. Neq; enim melius potest intelligi quod dictum est DEO: Apprehende arma, & scutum, & exsurge in adjutorium mihi: quàm ex illo loco, ubi legitur: Domine,
Gers. de com. sub v. spe. ut scuto bonæ voluntatis coronâsti nos!] Usqueadeò & Gerson est noster; quando dicit: [Sacra scriptura est quasi una oratio copulativa, cujus una pars cōfirmat, elucidat, exponit alteram.] Et Burgensis,
Burg. sup. prolog prim, N. Lyra. qui suprà testatus est: [Expositionem litteralem esse quasi januam omnium expositionum.] Effecimus ergò, quod nobis efficiendum fuerat, Scripturas se mutuò explicare: atque iccirco ad obscuriora explicanda alia, quæ planiora sint, ex iisdem Scripturis esse afferenda.
4. Sequitur jam regula quarta. Qui ad explicandam Scripturam, Scripturam cum Scripturâ confers; confer eas, quæ ipsis conveniunt signatis, hoc est, sensu. Videbor dicere τὰ ἄτοπα: & audiam, non posse secundum sensum conferri Scripturæ dicta duo; cum alterum adhuc lateat, utputà nondum explicatum. Immò dico, quod maximè est expeditum, & constans. nôsti genus Scripturæ elementare; at quomodo cognoscas τὸ σημεῖον, docebunt regulæ, quæ sequentur. Aut si vis,
R. R. 5. 6. ut aliâ ratione rem proponam eamdem; habe istud: combina duo Scripturæ dicta, quæ dissident inter se secundum signa, id est, verba, quibus constant illa dicta. At utrum, inquies mihi, ad alterius flectendum
R. R. 10. 11. est nutum? etjam te erudient regulę, quas inter sequentes animadvertes. Regulæ positę vim quod possit constabilire, est primum illud, quod de servatore retulit Lucas: [Exorsus est (Christus) à Mose,
Luc. c. 24. v. 27. & omnibus Prophetis: & interpretatus est illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso agebant.] Atquæ Christus ibi est concionatus, ea per Apostolos variè hinc sunt expressa: quæ cum conveniant sensu cum singulis apicibus veteris instrumenti, affinitatem quamdam inter explicata, & explicantia sanè fuisse oportet. Eamdem habet mentem,
Act. c. 17. v. 2. quod idem Lucas de Paullo asseverat: [Eum videlicet per tria Sabbatha disseruisse cum Thessalonicensibus ex Scripturis.] Atqui etjam habemus, quæ Paulli doctrinam contineant: quæ cum sint consentanea rebus veteris testamenti; ejus signa maximè poterunt explanare. De

re. De hac autē regula loquitur & iſtud B. Auguſtini effatum: [Cùm ſimile (in Scripturis) dicitur aliquid, non ex omni parte atque ex omni modo ſimile intelligitur: quia non ea tātùm, quę unius ejuſdemque naturæ ſunt, dicuntur inter ſe eſſe ſimilia, ſicut gemini homines, &c. verumetjam quæ naturæ diſparis ſunt, etjam dicuntur ſimilia; ut olivæ oleaſter, &c.] Tùm & Hieronymus quoque: cujus ſententia: [Hoc in omnibus Scripturis ſanctis eſſe obſervandum: ubi videtur aliqua ſimilitudo eſſe ſententiæ, non in omnibus eadem dici, ſed vel ſubtrahi pleraque vel addi, & ſingulorum inter ſe verborum diſcrepantium habere rationem.] Sed ſatis & de quartâ regulâ. En quinta, quæ talis: Ne neglige, ut videas, utrum Scriptura Scripturam appellet: quod maximè certum reddit de ſenſu. Appellat autem ſe vel explicitè, vel implicitè. Explicitè quidem, quando alius Scripturæ locus diſertè nominatur: ut lucem accipiat ſuam ab appellante. Exemplum rei ſit iſtud. dixerat Eſaias: [Ecce Virgo erit prægnans, & pariet Filium: & vocabis nomē ejus Immanuel.] Si hæſitas, qui legis; & quęris, quænam illa ſit Virgo? quis Puer? quando hoc totum ſit factum peractumq;? reſpondebit Matthæus, & docebit: Mariam eſſe hanc Virginem; Chriſtum eſſe illum Puerum. ſic enim Angelus ad Joſephum: [Maria pariet Filium, & vocabis nomen ejus JESUM; ipſe enim ſervabit populum à peccatis ipſius. Porrò totum hoc factum eſt, ut impleretur, quod ait Dominus per Prophetam dicentem: Ecce Virgo erit prægnans, &c.] Jam nullum relinquitur dubium de quæſito: explicatur Scriptura; explicat Scriptura; locus appellatur ſuo nomine, qui explicatur: ut Chorœbo ſtupidiorem eſſe oporteat, qui tranſmarinam inſuper requirat interpretationem. Implicitè autem Scriptura Scripturam appellat, quando alius locus Scripturæ porrigit explicationem, quod in alio deſiderabatur. Statuatur ergò (exempli cauſsâ) eſſe ex numero τῶν σημείων, quod Chriſtus dicit: [Stellæ cadent de cælo.] videlicet antequam ingruat univerſalis illa mundi cenſura. Heîc verò quid ſtellæ? quid cælum? Difficile ſanè eſt dicere, verumtamen ſi omninò ſit exponendum: dicendum eſt, quod Scripturæ reliquæ congruit. Sic affirmabo; per ſtellas intelligi poſſe Eccleſiæ Doctores: ſtellis enim ſunt ſimiles, quamdiu illi genuini. teſtetur hoc idem Matthæus; apud quem Dominus Servator: [Vos, (Apoſtoli) eſtis lux mundi.] Et cælum ſignificabit Eccleſiam; quia in cælo aliquando Catholica conveniet Eccleſia. unde Chriſtus in para-

Auguſt. cōt. Fauſt. l. 16. c. 15.

Hieron. ſup. Ezech. c. 33.

5.

Eſai. c. 7. v. 14.

Matth. c. 1. v.v. 21. 22.

Matt. c. 24. v. 29.

Matth. c. 5. v. 14.

bolâ: [Simile eſt regnum cælorum Patrifamiliâs, qui exiit primâ luce
Matt. c. 20. v. 1. ad conducendos operarios in vineam ſuam.] Datis his, prodibit ſen-
tentia: Doctores de Eccleſiâ cadent, id eſt, deficient. atque hoc planè
cum eo convenit, quod Paullus effato quodam elementari pronun-
1. Timoth. c. 4. v. 1. tiavit: [Spiritus diſertè dicit, quod poſterioribus temporibus quidam
à fide ſint defecturi, ſpiritibus deceptoribus attendentes, ac doctrinis
dæmoniorum.] Ita ſi explicabitur ſententia Christi; ſi vel non attin-
gatur ejus mens, tamen nihil dicitur, quod à Fide Christianâ eſt alie-
num. Sed ſequatur regula ſexta. Ante omnia teneto probè τῆς περι-
6. στάσεως ſublimioris ſententiæ; cui ab alia Scriptura ingerendum eſt lu-
men. Adjuncta hæc ut multa ſint; tamen in duobus videntur utiliter
poſſe conſiderari. horum unum; ut habeatur dicentis ſcopus: habe-
bitur autem tum tandem, quando conſtiterit, quid ſibi propoſitum
habuerit auctor, cum hæc talia ſcriberet. Enimverò tantũ eſt ſitum in
hoc, ut, ſi omittat hoc facere, qui conſtitutus Scripturę interpres eſt,
honorem ſuũ nullo modo poſſit tutari. Hoc probè intellexit & anti-
quitas; & eſt quoque ſequuta. audimus enim Cyrillum dicere: [Ante
Cyrill. in Theſaur. l. 8. c. 2. omnia, quando locum Scripturæ rectè intelligere volumus, tria dili-
genter conſideranda ſunt; tempus quando ſcriptum eſt, quod ſcribi-
tur; perſona, quæ dicit, vel per quam dicit, aut de qua dicitur; & res,
propter quam, aut de qua ſcribitur. ſic enim abſq; errore ſenſum po-
Idẽ in Ioch. l. 10. c. 13. terimus verum inveſtigare.] Idem & hoc habet: [Ego arbitror, ſi vo-
lumus, quæ dicuntur, rectè intelligere, intentionem nobis eſſe ſem-
per conſiderãdam, & ad quod Chriſtus propoſitum verba faciebat.]
Chryſoſt. ſup. 1. Cor. c. 15. Conſentit & B. Chryſoſtomus. hujus enim eſt iſtud: [Primum o-
mnium oportebit ſcopum Paulli conſiderare, & cõſilium; mox quæ-
ſtionem ſolvere.] Alterum, quod nomine τῆς περιστάσεως venit, habet
τὰ ἡγούμενα, καὶ τὰ ἑπόμενα, antecedentia, & conſequentia: quorum curã
viri in Eccleſia illuſtres faciunt tanti, ut omnem difficultatem, quę o-
ritur, inde tolli poſſe, habeant perſuaſiſſimum. Et ſanè olim quoque
plurima eorum habita eſt ratio: niſi fuiſſet habita, numquam dixiſſet
Aug. quæſt. 83. quæſt. 69. noſter Auguſtinus: [Solet circumſtantia Scripturæ illuminare ſen-
tentiam, cum ea, quæ circumſcripta ſunt, pręſentem quæſtionem at-
tingentia, diligenti diſcuſſione tractantur.] Origenes obſervavit id i-
Orig. ſup. Rom. c. 2. pſum. ita enim ſcribit ipſe: [Qui vult intelligentiam eorum, quæ in
Scripturis Propheticis ſcripta ſunt, capere; eum oportet diligenter
attendere vel dicentium perſonas, vel ad quos, vel de quibus ſermo
fit

sit personis.] Et Hilarius tot verbis hoc dicit, quot ego proponere volui. ait siquidem: [Dictorum intelligentia aut ex propositis, aut ex consequentibus exspectanda est.] Videant hæc, & legant, qui Scripturam per Scripturam nolunt exponere; sed in omnibus respiciunt Spiritum sanctangelicum: taceant posthac necesse est; aut loquantur cum pudore. Ad septimam regulam; quæ hæc est: Remove linguę cujusque idiotismos, id est, emolli; ut conveniant cum linguâ, in quâ tibi agendum. Nam si aliâ in linguâ secundum litteram hujusmodi idiomata efferas, plerumque aliquid absurdi ingerunt: quocirca linguarum gnarus vir, (qualem esse oportet Scripturæ interpretem) phrases cum phrasibus commutabit, ut suo cuique linguarum dato, germanum possit habere sensum. Discamus exemplo. ait Christus, cum reprehendit mundi ingratum animum: [Iustificata est Sapientia à Filiis suis.] Hebraismus est in voce *Justificata:* idemque sonat, ac reprehensa, seu traducta; nam ita aliquãdo utuntur Hebræi hoc verbo; quod & Germani ab iis videntur didicisse. Si accipias hoc verbũ, ut sonat per naturam; dicet Christus, hujus sæculi homines sapientiã coluisse & nõ coluisse; ꝙ esse absurdũ, res ipsa clamat. Addatur aliud, apud Marcum hoc legimus: [Veniunt fratres, & mater Christi.] Heîc verò quid audimus? Christus ergò fratres habuit: & si habuit, quî virgo permansit Maria? Idiotismus est Hebræi sermonis; is enim non eos solùm consuevit appellare fratres, qui nascuntur ex eodem viro, & feminâ, aut ex eodem utero, aut ex eodem patre; sed & hos, qui inter se sunt cognati, quales sunt patrueles, aut etjam cõsobrini. Quod ne solus sensisse videar, unicum heîc dabo Augustinum: illum enim si habemus; habemus plures. vir is magnus est prorsus; & eò major subinde, quò attentius ejus considero mentem. is dicit expressis verbis: [Habet omnis lingua sua quædam propria genera loquutionum; quæ cum in aliam linguam transferuntur, videntur absurda.] Hoc dicit, quod ego. Testis eris, quicunque leges. Repetit idem multis aliis in locis. exscribam tantummodò unum adhuc, quod ultrò sese offerebat; estque hoc: [Scriptura quomodo loquitur, sic intelligenda est. Habet linguam suam: quicunque hanc nescit, is turbatur.] Hæc, & alia monent, linguam Scripturæ esse tenendam, & emolliendam, si alias in linguas transfundatur: cui & studiosè obsequetur, qui Dei & sententiæ veræ in Scripturâ est studiosus. Atqui jam octava attexenda est regula; quam hanc esse dicunt: Ut verum habeas loci cujusdam

Hilar. De Trinit. l. 9.

7.

Matth. c. 11. v. 19.

Marc. c. 3. v. 31.

Aug. de ver. Relig. c. 50.

Idem in Iohan. Trac. 10.

8.

ſenſum, ſæpè accerſenda hiſtoria eſt: quæ ſi lateat; latet & germana loci ſententia. Hiſtoriam dum nomino; duplicem intelligo, ſacram nimirum,& profanam. Sacra quidem eſt illa, quam produnt volumina biblica; profana autem, ad quam cum alludatur in ſacris; ejus tamē perfecta deſcriptio non eſt in iisdem. Atqui verò ut ſacra profanis ubique præferuntur; ita & de geminâ hac hiſtoriâ ſentiendum eſt. Sacra ſiquidem ſcitu plerumque eſt neceſſaria, cum plurima in ſacris illuſtret: profana autem licet lucem rei afferat eximiam; tamen eam ſcire, ad ſalutem nihil intereſt, cum de externis utplurimùm explicet.

Eſai.c.21. v.5. Quid enim illud ſonat apud Prophetam? [Pone menſam: contemplare in ſpeculâ; comedentes, & bibentes ſurgite Principes; arripite clypeum:] Obſcurum ſatis; at benè tandem intelliges, ſi Xenophontem de hac re conſules. *Xenoph. De inſti. Cyr. l. 7* dicet enim, Cyrum occupaſſe Babylonem: interfectum eſſe Babyloniorum Regem: cæſos eſſe vigiles ad lucem bibentes; horum clamorem expoſuiſſe præſens periculum. Verbis his Xenophon peragit rem: οἱ ἐπὶ τοὺς φύλακας ταχθέντες ἐπεισπίπτουσιν αὐτοῖς πίνουσι πρὸς τὸ φῶς πολὺ, καὶ εὐθὺς ὡς πολεμίοις ἐχρῶντο αὐτοῖς: [Qui adverſus vigiles conſtituti erant, irruunt in eos, bibentes ad multam lucem, & continuò illis, ut hoſtibus ſunt uſi:] cum aliis, quæ ſequuntur. Habes hiſtoriam profanam. Ecce ſacram. Legimus alicubi in Pſalmo:

Pſal.83.v.11 [Pone principes eorum ſicut Oreb, & ſicut Zeb, & ſicut Seba, & ſicut Salmuna principes eorum.] Si neſciatur res geſta cum his Principibus, totus hic locus obſcurus eſt. ergò ut poſſit intelligi, ſedolò accerſatur. Poteſt autem habere ex libro Judicum, in quo legimus: *Iud.c.7.v.25.* [Interfecit (Gedeon cum ſuis) Oreb in Petrâ Oreb; Zeb verò in torculari Zeb.] *Ibid. c.8. v.21.* Et rurſus: [Surrexit Gedeon, & interfecit Seba, & Salmuna, & tulit ornamenta, ac bullas, quibus colla regalium camelorum decorati ſolent.] Hæc ſi teneantur; facile fit, quod antea fuerat difficillimum. *Auguſt. De doct. Chriſt. l.2.c.28.* Atque rem ita habere ſe, etjam Auguſtinus optimus prædicet: [Quidquid de ordine temporum transactorum (inquit) indicat ea, quæ appellatur hiſtoria, plurimum nos adjuuat ad ſanctas libros intelligendos, etjam ſi præter Eccleſiam puerili eruditione diſcatur.] Et paullò inferius indicat, quanti faciat hiſtoriæ dignitatem: [Non *Idē ibidem.* inter humana inſtituta (inquit) ipſa hiſtoria numeranda eſt: quia jam quæ tranſierunt, nec infecta fieri poſſunt, in ordine temporum habenda ſunt, quorum eſt conditor, & adminiſtrator DEUS.] Habe

9. jam nonam regulam. Affer ad rem Scripturę parabolas; & difficultas

ejusdem

ejusdem mitescet. Sunt enim faciles eæ,& plurimum rem illustrant; siquidem sit additum, quarũ rerum sint parabolæ: quemadmodum facilis fit ὁ μῦθος, & cum insigni delectatione docet, si nimirum sit annexum τὸ ἐπιμύθιον. Probarem hanc rem multis; si ob via non esset cuivis eam vel obiter expendenti. Addam unicum tamen hoc: quod qui rectè nôrit, de innumeris poterit ferre judicium. Contendat aliquis imaginem DEI uno momento restitui fidelibus, adeò quidẽ, ut nihil omninò sit, q vel in hac vel in futura vita eidem possit adjici. Et fieri potest, ut defendatur: cum sint propugnata acerrimè, quæ hoc absurdiora etjam forent. Huic cum ex aliis scripturæ fundamentis, tum ex parabola Christi de grano sinapis aptissimè potest responderi. de eo enim pronuntiat divinum servatoris os: [Minimum quidem esse omnium seminum; cum autem excreverit, maximum esse olerum, & fieri arborem, adeò, ut veniant volucres cæli, & nidulentur in ramis ejus.] Granum sinapis adumbrat regnum cælorum: Christo suggerente in parabolæ hujus initio. at illud dicitur primùm esse minimum, deinde ingentem in magnitudinem excrescere: quocirca & Ecclesiæ fides, quæ tenuis & perexigua sæpenumero est, tanto incremento tandem apparet, ut eam perdomare haud possit, quidquid in mundo est maximũ. Ex quo unico videmus, similitudines in sacris litteris magnã habere vim ad explicandos hos locos, qui aliqua obscuritate laborant. Et quid ago ego? crede Cyrillo de eodem, quod bis jam suasi; sed ita, ut neutrubi dixerim supervacua. is talis in quæstione hac est: [Cum natura divina cuncta superet; necesse est nobis secundum vires nostras etjam minimarum rerum similitudines non despicere.] Et Augustinus ubi disputat de scripturæ oratione figurata, recenset dictum è Canticis cum erotemate, quod leges: [Dentes tui, sicut grex detonsarum, ascendentes de lavacro, quę omnes geminos creant, & non est sterilis in eis. Num aliud homo discit, quàm cum illud planissimis verbis, sine similitudinis hujusmodi adminiculo audiret?] At effatum Solomonis hoc ut explicet, requiras oportet ex sequentibus, quæ lectione, & asterisco sunt dignissima.

Matth.c.13. v.32.

Cyrill. sup. Ioeb. l.1. c.5.

August. de doct. Christ. l.2. c.6.

10. Progredior ad decimam regulam, cujus hoc est jussum: [Conquire diligenter, & annota, quæ utriusque testamenti dictis videantur affirmari negarive. Hausi ex Origene, qui ait: facilius, in scripturis quod quæritur, agnoscetur; si ex pluribus locis, quæ de eâdem re scripta sunt, proferantur. Et ex Augustino: qui concinit Origeni: [In omni-

Origen. sup. Num. Hom. 24.

August. cōt. bus ſanctis ſcripturis ſecundum ſanæ fidei regulam figuratè dictum
Ad. Leg. & vel factum ſi quid exponitur, de quibuslibet rebus, & verbis, quæ ſa-
Prophet. l. 2. cris paginis continentur, expoſitio illa ducatur.] Verùm quod per re-
c. 9. gulam hanc eſt aſſeveratum, rectè intelligendum, ne res accipiatur
pinguiùs, quàm accipi velit. Mens igitur vera eſt iſthæc: ſi dubium in-
cidat de dogmate ſacro, velim diſpici, quot ſint numero effata in ve-
teri inſtrumento, quęſtionis affirmatam quæ partem tueantur: velim
& aſſignari quoque, quot reperiantur in eodem, quæ negatam par-
tem videantur concludere. Id facile fuerit illi, qui volumina biblica
perluſtravit: nam qui Biblia integra haud cognovit, ad hanc provin-
ciam admitti nullo modo poteſt. At quod affirmavi modò de veteri
fœdere, de novo quoque intelligi volo; cum & ex illo vulgò produ-
cantur, quæ eamdem quæſtionem videantur & ſuadere, & diſſuade-
re. Niſi utrumque teſtamentum conſulueris, & conſulueris eo, quo
dixi, modo; latebit veritas, quæ tibi invenienda proponebatur. Et
quamquam minus videatur commodum paradeigmate illuſtrare
rem, quod charta hoc abnuat; tamen proponere negocium ὡς ἐν τύπῳ,
quid vetat? quando rem poſſit abſolvere, cui majus eſt ocium. Agi-
tatur quæſitum: Utrùm juſtificet fides, vel bona opera? Appellantor
Gen. c. 15. v. Biblia. Quid ſuggerit Teſtamentum vetus? quòd fides juſtificet ho-
6. minem, habet hæc. In Geneſei: [Credidit Abram Deo, & reputatum
Pſal 31. v. 1. eſt ei ad juſtitiã.] In Pſalmo: [In te Jehovah ſperavi: non confundar in
Pſal. 34. v. 9 æternum.] In alio: [Beatus vir, qui ſperat in Jehovah.] In Solomo-
Proverb. c.
16. v. 20. ne filio illo Davidis ſapiente: [Qui ſperat in Jehovah, beatus eſt.]
Proverb. c. In eodem: [Qui ſperat in Jehovah, ille ſublevabitur.] In Eſaia au-
29. v. 25. tem hoc: [Qui crediderit; non fugiet.] Etjam iſtud: [Et ſcies, quia ego
Eſa. c. 28. v. Jehovah, ſuper quo non confundentur, qui exſpectant eum.] Ali-
16.
Eſa. c. 49. v. bi apud eumdem: [Qui fiduciam habet mei, hereditabit terram, &
23. poſſidebit montem ſanctum meum.] In Hoſea eſt hoc: [Deſponſabo
Eſa. c. 57. v. te mihi in fide; & ſcies quia ego Jehovah.] Et apud Prophetam
13. Habacuc: [Juſtus ſua fide vivet.] Hæc & plura etjam haberi poſſunt
Hoſ. c. 2. v.
20. pro juſtificatione fidei. Contra verò hæc videntur adſtruere, quòd
Habac. c. 2. bona opera juſtificent. apud Solomonem: [Univerſa delicta operit
v. 4. caritas.] In Daniele: [Peccata tua eleemoſynis redime.] Vix autem, ac
Proverb. c. ne vix quidem plura haberi poterunt. Jam Novum Teſtamentum
10. v. 12. quid dicit? Hæc habet de fidei juſtificatione. ait Chriſtus ad hæmor-
Dan. c. 4. v.
24. rhouſam: [Confide filia: fides tua te ſervavit.] Et ad Archiſynago-
Lu. c. 8. v. 48

gum

gum Jairum: [Ne metue: solummodò crede.] Jochannes autem ha-
bet hoc: [Quicunque credit in Christum, non perit, sed habet vitam *Luc. c. 8. v. 50.*
æternam.] Apud eumdem: [Qui videt Filium, & qui credit in eum, *Ioch. v. 3. v. 15.*
habet vitam æternam.] In Actis: [Remissionem peccatorum accipit
per nomen ejus, quicunque crediderit in eum.] In iisdem: [In hoc, *Ioch. c. 6. v. 40.*
qui credit; is justificatur.] Iterum in Actis: [DEUS fide purgat corda
hominum.] Apud Paullum est hoc: [Colligimus, hominem justificari *Act. c. 10. v. 43.*
fide, absque operibus legis.] In eadem Epistola: [Quod si per gratiam *Act. c. 13. v. 39.*
electio facta est; non jam ex operibus: alioquin gratia jam non est
gratia.] Et alibi: [Scimus, non justificari hominem ex operibus legis; *Act. c. 15. v. 9.*
sed per fidem JESU Christi.] Immò innumera offendes, quacunque
per novum testamentum tu incedas. Ex adverso leguntur hæc, quæ *Rom. c. 3. v. 28.*
modò dictis videntur opposita. apud Lucam: [Remissa sunt huic mu- *Rom. c. 11. v. 6.*
lieri peccata multa: nam dilexit multum.] Et istud Jacobi: [Videtis,
ex operibus justificari hominẽ, & non ex fide tamtùm.] Et si quid for- *Gal. c. 2. v. 16.*
tè occurrat huic speciei vicinum: quod certè est rarissimum. Ergò *Luc. c. 7. v. 47.*
vult hæc regula, proposita quæstione, classes esse conficiendas dicto-
rum, quæ adversa de eadem videantur asseverare re: & proximum es- *Iacob. c. 2. v. 24.*
se, ut genuina de quæsito prodeat sententia. Regula undecima. No- *11.*
ta exactè, in utroque Testamento pauciora per plura esse interpre-
tanda. Hoc est, pauciora testimonia ita sunt explicanda, ut ad plurium
nutum quadrent: non contra. Sic duo illa veteris Testamenti loca,
quæ operum justificationem videntur comprobare, ita sunt enar-
randa, ut non repugnent decem illis, quæ ex eodem depromta, Fidei
adscribunt salutis apprehensionem. Par ratio & de Testamento ve-
teri: quod etjam præcedenti in regula utrumque est auditum. Æquis-
simam autem esse hanc regulam, inde palàm, quòd & Hebræorũ ille
excellentissimus Doctor multis testimonis uti voluerit ad asseren- *Heb. c. 11. integ.*
dam Fidei justitiam. Æquissima & ex his illius verbis: constanti assen- *Heb. c. 12. v. 1.*
su tenendum esse, quod dixerit: quòd nimirum ἡμεῖς τοσοῦτον ἔχωμεν περι-
κείμενον ἡμῖν νέφος μαρτύρων: [Habeamus tamtam nubem testium nos
circumstantem.] Et sanè ut natura ipsa hanc suggerit veritatem; ita fi-
xum est apud Jurisconsultos omnes, [ut in deliberationibus arduis, *Ius univers.*
& gravibus semper ex majoris partis sententiâ caussa judicetur.] Ob-
servatur hoc per universum terrarum orbem: in Turciâ adeo: & a- *Ipsa Natura.*
pud Tartaros. Observatum fuit & olim: unde solemnis formula pri-
sci senatus apud Romanos: *numera suffragia*. Atqui verò secundum

Arist. Problem. sect. 15. Aristotelem : τὸ ἀεὶ καὶ ἐπὶ πάντων οὐκ ἀπὸ τύχης, ἀλλὰ φυσικόν : [Quod semper,& in omnibus fit;non est à fortunâ, sed naturale exsistit.] Per naturam autem quod est,æquum est:alias Deus foret auctor non æqui; ut concludatur,maximè secundum justitiam esse, ut pauca pluribus explanentur.Exaudiat mihi aliquis M. Antonini verè liberalem vocem? quam verò? cum dissentiebant ab ipso amici, solebat dicere: [Æquius est,ut ego tot,&talium amicorum sententiam sequar,quam ut tot,& tales amici meam unius voluntatem sequantur.]Urge ergo, si velis, ex Jacobo & Daniele operum justificationem:& conculca interim aliquot contrarium testantium locorum centurias. Dico tibi,excæcate Pistori, quoties ad partes tuas has in caussa attrahis vel Danielem, vel Jacobum, eos toties efficis reapse seditiosos Biblicæ Reipub.senatores:inuris illis maculam turpem: cujus caussa in generali censura te olim sunt postulaturi. Quod asseveravi hac regula, id à Vetustate jam est prælibatum. reipsâ monet Patrum chorus, ex multis scripturæ dictis esse faciendum judicium, quando gregatim scripturæ eloquia producit:& sibi fidem haberi non vult,nisi multis è scripturâ probarit. Quin & verbis docet sole clarioribus:quorum aliquot suprà sunt percensita. at omnia proclamant hoc:Credite, quod dicimus:quia quod dicimus, è scripturis est.Illheîc exstat magnâ copiâ; quod docemus. Tantùm audiatur Origenes: & concludemus hanc regulam: cujus hoc est pronuntiatum:[Facilius in scripturis,quod quæritur,invenitur, si ex pluribus locis, quæ de eadem re scripta sunt,proferantur.]Si tamen prius subnectatur illud Augustini,quod recensuit in constitutione Reipub. Christianæ, ubi ait: [Quod in obscuro loco intelligitur, vel attestatione rerum manifestarum,vel aliis locis minimè dubiis asseritur,sive cum multa tractantur,ad id quoque pervenitur,quod sensit ille, qui scripsit.

Capit. in M. Anto.

Origen. sup. Num. Hom. 24.

August. de Civit. Dei. l. 11. c. 19.

12. Regula autem duodecima est hujusmodi: Perpetuum hoc esse puta,ut vetus Testamentum per novum explicetur. Monitum hoc est necessarium perquam. nisi enim Novum testamentum esset; multa in Veteri non possent explicari. Dicta quippe sunt concilianda eo doctrinæ genere,in quo reperiuntur illa, ut, quæ exstant in Veteri fœdere,concilientur in Veteri;in Novo autem concilientur, quæ producuntur ex Novo.Quòd si autem contingat,ut sanè contingere vix umquam potest,ut aliud dicat Testamentum vetus, aliudque Novum; quid tum fuerit faciendum? Et quid si paria sint numero utriusque Testamenti suffra-

ri ſuffragia? quid quoque ſi Inſtrumentum novum vincatur numero teſtimoniorum per Vetus? quomodo, inquam, res expedienda? Ergò ſciatur, Vetus teſtamentum eſſe interpretandum per Novum, utcunque res habeat cum numero dictorum: quinque enim ſi habeantur Teſtimonia ex Novo teſtamento, quæ expreſſa tamen & elementaria ſint; decem in Veteri dexterrimè poterunt explicari; decem Novi, viginti Veteris, &c. Cauſſa rei hujuſce eſt evidens: quia Chriſtus in Novo tam familiariter explicuit rationes ſalutis, ut nihil ſupra: quod non factum ſanè in Veteri: quia in ejus miniſtros Pentecoſtes Feſto ſunt effuſi omnes ſcientiæ divinæ catarrhactæ: quia ad omnes erant deferenda Novi teſtamenti decreta: quia in eodem eſt rei eventus, id eſt, complementum Veteris: quod in illuſtrando vim præcipuam habet. Vis heîc, ut rem planam efficiam Vetuſtatis atteſtatione. Feci ſuprà. Quin addam & heîc quædam, quæ cum ſuperioribus conveniant. Auguſtini eſt illud: [Si figuræ diſcutiantur, omnia ibi (in Veteri teſtamento) reperiuntur, quæ ſunt præſentata, vel exſpectantur præſentanda per Chriſtum.] Habet & hoc idem Auctor: [In Veteri teſtamento eſt occultatio novi; in Novo teſtamento eſt manifeſtatio veteris.] Eſt & egregium valde, profectum ab Hieronymo: itaque habet: [Priuſquam ſalvator humanum corpus aſſumeret, & humiliaret ſe, formam ſervi accipiens, clauſa erat lex, & Prophetæ, & omnis ſcientia ſcripturarum. Poſtquam autem ille pependit in cruce, & loquutus eſt ad latronem: Hodie mecum eris in Paradeiſo: ſtatim velum templi ſciſſum eſt, & aperta ſunt omnia, ablatoque velamine dicimus, nos omnes revelatâ facie gloriam Domini contemplantes in eamdem imaginem transformamur à gloria in gloriam.] D. autem Lutherum crebrò perhibent dixiſſe: Novum teſtamentum ſibi videri ſolem, à quo luna teſtamenti veteris illuſtretur.] Atque has regulas, quas hactenus propoſuimus, ſi obſervavimus; habebimus ſententiam de loco ſcripturæ ſublimi, quæ quærebatur. Indices enim ſunt, ſeu illuſtres notæ, quæ aperire poſſunt in ſacris, quæ aperiri vel poſſunt. Verùm quia genus locorum τὸ σημειὸν difficile dixi propter ſigna, quib⁹ exſtet, & facilia ipſa ſignata ex elementaribus locis, ſi canones allegati interveniant; diſpiciendũ jam fuerit nobis, quo modo hæc ſignorum ſublimitas queat complanari, ut noſtris uſibus deinceps queant inſervire. Hac de re loquentur duæ, quæ ſequentur, regulæ: quarum una Grammatica, altera Rhetori-

August. Retract. l.1.c. 22.

Idem de catech. rud. c. 4.

Hieron. sup. Ezech. c. 44

D. Luther.

P

ca fuerit. Meritò verò hoc totum: cum illa de signis ratio Grammatici Rhetorisque judicio potissimum queant æstimari. Grammatica est: Isthæc in verbis improprietas vel tolli potest observatione
13. τῆς ὁμωνυμίας, quæ aut in uno, aut in aliquibus vocibus animadvertitur. Negari enim non potest, scripturam uti interdum verbis, quæ vel duo, vel plura significant: id quod sæpè ob defectum propriorum accidit: sæpè &, ut exerceatur lectoris animus quod si non observes, qui legis scripturam sacram; ipse æstimes, te subinde in lectione hujusmodi ablucinaturum. Doceat hoc exemplum quoddam, quod superius adduxi ex Apostolo Jacobo. fatebar enim apud eum exstare hanc sententiam: [Videtis ergo, ex operibus justificari hominem.] Atqui heîc addo: verba hæc ita esse intelligenda, ne integras disputationes Pauli evertant: ac dico proinde, difficultatem esse ortam unico ex vocabulo, quod minus dextrè sit intellectum: τὸ *justificari* quippe esse ὁμώνυμον: præter alia, quæ singula adduci nequeant, idem esse interdum, cum *justum declarari*: ut est in illo Euangelistæ Lucæ: [Legis consultus volens justificare seipsum, dixit Jesu: & quis est meus proximus?] volens justificare, id est, justum declarare. Quo stante, Jacobus dixerit, hominem declarari justum ex operibus: quod verũ: opera enim possunt videri; fides verò non item. Sicque dicetur: ex óperibus cognosci fidem: quod toti scripturæ est consentaneum. Attexo aliud: nam sic res eò intelligetur melius. Retuli etjam suprà quamdam Christi sententiam: quæ hæc: [Remissa sunt huic mulieri peccata multa: ὅτι ἠγάπησε πολύ: quoniam dilexit multum.] Ergo ajunt, justificat dilectio. Rectè intellige, ô mi, ne efficias spiritũ sanctum sibi contrarium, qui nusquam sibi adversatur. Vox unica te turbat, turba simplex; quam & facilè invenies, si quæres. Ὁμωνυμία est in voce ὅτι: quæ tametsi aliâs importet caussam, ob quam res ita affecta sit; tamen interdum innuit eventum, & ingerit, quod ex antecedente exsurgit. Et tum vox ὅτι idem ẽst ac διὸ, ideo: hanc significationem habet in effato quod legis in Samuele: [Non audierunt (filii Heli) vocem Patris sui: כי JEHOVAH voluit eos occidere:] ubi vox Hebræa non potest significare *quia*, ut alias: sic enim duri quid efferretur de DEO:
14. sed *ideò* heîc denotat: & tum sententia est plana, & facilis. Sumatur ergo τὸ ὅτι in priore sententia, ut in posteriori hoc; & dicetur: feminæ peccatrici esse remissa peccata multa: & ideò ipsam multùm dilexisse Christum Dominum. Quod quidem dum asseveratur; asseveratur hujus-

Iacob.c.2. v.24.

Luc.c.10. v.29.

Luc.c.7. v.47.

Samuel.c.2. v.25.

hujusmodi quod undique ſcriptura clamat: omninò eſſe conveniens, ut redametur ab illo DEUS, qui à DEO ineffabili modo eſt amatus. Verùm tandem ſubdenda ultima eſt regula; quæ Rhetorica. ita autem habet hæc: Arduum illud in verbis quandoque poteſt 14.
fieri humile, ſi ornamentis Rhetoricis exponatur. Tropi enim, quos vocant, ſi admittantur, ut certò in hoc ſcripturæ genere ſunt admittendi: faciliimum non modò fiet, quod antea erat difficile; verùm ſumma ſua jucunditate lectori ſe plurimum cõmendabit. Utrumque enim τοὺς τρόπους, & illuſtrare, & delectare: quod doctiſſimi docuere in ſcientia rhetorica magiſtri. Qui hoc (ajes tu, mihi benevole] peregero equidem? varia (inquam ego) ratione id poteris. A me, ſi libet, *Vide Effig.*
illud potes habere compendium: quod probata ſuggeret Rhetorice. *Rhetorices*
Diſpice primum, utrum forſan quædam ſubſit Metonymia: hoc *D. Schram.*
eſt, an Materia ponatur pro Forma. [Non eſtis redemti auro.] Vel *1. Pet. c. 1. v.*
Forma pro Materia: [Moriatur anima mea morte juſtorum.] Vel *18.*
Cauſſa pro Facto: [Moſes legitur.] Vel Factum pro Cauſſa: [Dæmo- *Num. c. 23.*
nium erat mutum.] Aut Eſſentia pro Affectione: [Homines ſumus *v. 10.*
natura filii iræ.] Vel affectio pro eſſentia: [Noe erat perfectus.] *Act. c. 15. v. 21.*
Vel Locus pro Locato: [Jeruſalem, Jeruſalem, trucidatrix Prophe- *Luc. c. 11. v.*
tarum!] Vel Locatum pro Loco: [Solo æquabunt filios tuos intus.] *14.*
Tum vide, an forte adſit eironeia: in cujus cenſu ſarcaſmus: quando *Epheſ. c. 2. v. 3.*
Adverſum ponitur pro Adverſo: [Dormite modo, mei diſcipuli.] Et *Gen. c. 6. v. 9*
Paraleipſis, quando dicitur quod non dici videtur: [Novi hominem *Matth. c. 24*
in Chriſto raptum eſſe in Paradeiſum.] Deinde cogita, an ſubſit rei *v. 37.*
Metaphora: quando ſimile ponitur pro ſimili: [Quare fremuerunt *Luc. c. 19. v.*
gentes?] Vel allegoria: quando Metaphora aliquouſque continua- *44.*
tur: [Nigra ſum; ſed formoſa.] Vel Hyperbole: quando verbum ma- *Matth. c. 26*
jus re: [Denigrata ſuper carbonem facies eorum.] Vel Tapeinoſis: *v. 45.*
quando verbum minus re: [Dixit Adam, mulier dedit.] Deinde con- *2. Cor. c. 12. v. 2.*
ſidera, num in ſermone Synecdoche, quæ contingit, quando Genus *Pſal. 2. v. 1.*
ponitur Speciei: [Niſi eſſent contracti dies, non fieret ſalva ulla caro.] *Cãt. c. 1. v. 5.*
Aut quando ſpecies ponitur pro Genere: [Quis dabit ex Sion ſalutare Iſrael?] Aut ſi Integrum ponitur pro Membro: [Homo brevi vi- *Thren. c. 4. v. 8.*
vit tempore.] Vel ubi membrũ ponitur pro Integro: [Lætetur mons *Gẽ. c. 3. v. 12*
Sion, & exſultent Filiæ Judæ.] Hæc adhibe: & quod difficile erat in *Matth. c. 24 v. 22*
ſignis, ad jucundam facilitatem rediges. quod probè notatum volo *Pſal. 54. v. 7*
omnibus illis, qui accuratè res Bibliorum volunt intelligere. Qui & *Iob. c. 14. v. 1*
Pſa. 48. v. 12

hoc non minore curâ observent, non esse ad inflexionem verborum, quam duæ postremæ docuêre regulæ, descendendum, nisi res undiquaque sint attentatæ per canonas, qui ab initio capitis illhuc usq; sunt explanati.

Hæc dicere habui, Pistori πάνσοφι, de explicatione τῶν σημείων, quæ in scriptura occurrunt: exposui canonas, quos si negare attentes, videbunt omnes, sacram æquitatem tibi non esse cordi; sin admittas, ipse videbis, maximam fidei tuæ cladem inde esse exspectandam. Omnia conclusa: non est, quà evadas. Et siquam per rimulam coneris effugere; nimium luctando disrumpes corpus. Usque adeò miserum est, atque exitiale, evidenti Veritati petulanter obloqui! Undique sternetur impudens Adversarius: quasvis potest hæc acies τῶν σημείων hostis incursiunculas frangere. Cum enim τὰ σημεῖα sunt explanata per τὰ στιχίδια, quæ dixi: etjam probant, & probant eò efficaciùs quò familiariora ea, accessione τῶν στιχιδίων, sunt facta: perinde ut ferrum & lucet, & urit, cum ignem suscepit jam, tametsi sua natura sit cum lucis tum caloris expers. Ergo videmus, sanctam in scriptura sacra esse cõcordiam; eáq; posse deprehendi quàm facillimè ab eo, qui pius, qui cãdidus. Deblacterent impia sæcula nostra, ut deblacterant: dissidere inter se sæpenumero, quæ scribantur in sacris. Nos ipsa veritate edocti exactè novimus, summum omnium in scriptura prolatorum esse consensum: adjuti & Meletii voce: [Nulla verba scripturæ esse inter se contraria.] Cum & sumamus de universa scriptura, quod Chrysostomus de Evangelistis est proloquutus: [Eos videlicet ex diversis occasionibus loquentes in unum sensum ingredi: sicut ex diversis itineribus venientes ad unam mansionem contendant.]

Apud Epiph. cont. semi-Arr.

Chrysost. sup. Math. hom. 28. Op. Imperf.

CAP. VIII.

Ἡ ἐργασία *generis illius: quod appellatum* τὸ μυστικόν.

Basil. adv. Eunom. l. 3.

PERGO progredi. Qui legimus Basilium, cum audimus dicere: Ἐγὼ εἰ μὲν πάντα διεξιέναι ᾤμην καταληπτὰ ἡμῶν εἶναι τῇ γνώσει, ᾐσχύνθην ἂν ἴσως ὁμολογῆσαι τὴν ἄγνοιαν. [Equidem si censerem, omnia notitia posse comprehendi; vererer fortassis ignorantiam fateri.] Idem & ego hoc loco dicere possum, quem methodus ad rationem enarrandorum mysteriorum in scriptura pertraxit. Nec aliud dicere possum; si intueor vel illa scripturæ mysteria, vel me. Mysteria quidem scripturæ: sunt enim

tam

tam ardua illa, ut, quæ sunt præstantissima in ratione hominis, longissimè transcendant: cum verum & heic, quod B. Athanasius de cognitione Essentiæ divinæ est effatus: Ὅτι (ἡ τοῦ θεοῦ φύσις) ὑπὲρ πάντα ἐστὶ τὰ γνωσθέντα ἡμῖν: [Quoniam (DEI natura) est supra omnia nobis cognita.] Me autem: etenim tam divino non me dico esse ingenio, ut, quæ fugerunt etjam mundi lumina, me posse eruere confidam; scio videlicet, omnium hominum rationem scientiamq; esse οὐδὲν ἄλλο πλὴν κοῦφον σκιάν: [Nihil aliud, quam levem umbram.] quid igitur de me credam mihi, qui videam umbram horum virorum esse lumen; si cum meis, verissimis licet, exquisitius comparetur. Verumtamen, ne hæc, quæ nunc magnâ cum voluptate persequimur, sint arena quædam sine calce, ut ait venustè ille, id est, ne quiritentur, secum haud esse actum, quemadmodum cum duobus Scripturæ generibus, quæ bono ordine fuere proposita: etjam aliquid de iis dicendum fuerit, ut rerum præsentium minus gnari, quales fortè οἱ κατηχούμενοι, sciri possint, quid etjam hoc in genere sit agendum. Nam quamvis genus dictorum τὸ μυστικὸν sit inexplicabile; quatenus nimirum permanet tale, quale per suam naturam est: cum res ob summam suam sublimitatem lateant: tamen cum in lucem emergere cœpit, quod fit interdum magno ac prosus raro DEI beneficio, dum, inquam, in lucem emergendo naturam hanc suam (respectu intelligentiæ) quasi exsuit; recidit sub genus ejusmodi, quod explicationem admittit. At quod sit istud Scripturæ genus, subsequentia ostendent. Quocirca quamtumvis ἴσως οἱ λόγοι χαλεποί, [Isti sermones difficiles sint.] ut Plato ait, agens de Diis: tamen plurimum utilitatis sunt habituri; si cautiore rationis digito contingantur.

Athanas. cont. Anom. Dialog. 1.

Sophoc. in Aiace.

Plato de Republ.

Teneatur itaq; de genere dictorum sacrorum sublimi istud, quod Christianæ professionis hominem maximè decet: nimirum relinquendum hoc genus universum esse, si interpretatio maximè cōsentanea haud suppetat. Illud verò quid vult? hoc certè: quòd, si quid occurrat in sacris, quod arcani quid videatur spirare, suspiciendū id quidem esse, ut rem maximè preciosam; committendam tamen DEO tamti mysterii enodationem; & differendam quoq; tamtisper, dum aliquando se offerat, quod radiis suis abdita hæc arcanorum illustret. Id sanè videmus fecisse eos etjam, qui summi fuère in Christi Ecclesiâ: substitère videlicet, & cum sapientiâ hæsitârunt; donec subministret DEI Spiritus medium aliquod, quo invia hæc pervia tandem ef-

ficerentur. Nos eos imitemur, quàm possumus diligentissimè, ut simus participes laudum, quas illis sincera Ecclesia tribuit; nec abnuit, cui vel tantillum humanæ modestiæ. Certè ut faciamus hoc, pia vetustas magno nos cohortatur studio; ex cujus numerosâ attestatione illud saltem notetur Augustini dictatum; quod quidem ita habet: [Ubi de re obscurissimâ disputatur, non adjuvantibus divinarum auctoritatum certis clarisq; documentis, cohibere se debet humana præsumtio, nihil faciens in partem alteram declinando.] Cum illo Gregorii, quod etjam egregium: [Qui in sanctâ Ecclesiâ veraciter sunt humiles, & veraciter sunt docti, nôrunt de secretis cælestibus & quędam considerata intelligere; & quædam non intellecta venerari: ut & quæ intelligunt, veneranter teneant, & quæ necdum intelligunt, humiliter exspectent.] Verùm cur cohibeamus judicium nostrum in

August. De Peccat. mer. & remiss. l. 2. c. 36.

Grego. Mor. l. 20. c. 9.

1. his arcanis, caussæ potissimum sunt duæ; quarum prior: Ne contumelia afficiamus divinā Majestatem, si tam irreverenter in adyta hæc involemus. Quis enim neget, DEUM offendi, majestatemq; ejus violari, si illotis manibus hæc tractemus sacra? id est, non potest nō grave esse DEO, quoties videt, summa illa suæ sapientiæ è Scripturis eminentia cacumina hominum profanorū operá ac temeritate deprimi ad profundas obscurasq; nostri ingenii speluncas. Etenim & homines inique ferre videmus: si animadvertant, aliter sua accipi dicta, quàm ipsi senserint dicentes: idq; eò magis etjam, si quod illi summâ accuratione videntur disputâsse, interpretum temerariorum inscitiâ, aspiciant enervari. Adducam pauca, cum possem multa; quæ cōfirment, quod hoc loco adstruo. Ait Ambrosius: [Quæ DEUS occulta esse voluit, nō sunt scrutanda; quæ autem manifesta fecit, non sunt negligenda: ne & in illis illicitè curiosi, & in istis damnabiliter inveniamur ingrati. Cum quo facit & Augustinus, cum ait: [Non oportet de libro (Christe mi) judicare tuo, etjamsi quid ibi non lucet: quoniam submittimus ei nostrum intellectum, certumq; habemus, etjā quod clausum est aspectibus nostris, rectè veraciterque dictum esse.]

Ambros. De Voc. gent. l. 1. c. 7.

August. Cōf. l. 13. c. 23.

2. Posterior caussa, cur non temerè pronuntiandum de præsenti locorum sacrorum genere, est hæc: Ne ingenium hominis, quod per certè exiguæ est potestatis, arroget sibi, quod non habet ipsum. In hoc enim vitium valde omnes sumus proni: volumus videri omnia DEI secreta penetrâsse; & hoc interdum adeò, ut, tametsi nos convincat FRATER SCIEGUS de errore, pernegemus tamen errâsse nos. Loquar

quæ autem de nobis, quà sumus ἄνθρωποι ψυχικοί: nam quatenus induimus Christum; omnibus desperatis quæ nostra, in uno Christo sapere volumus. Quocirca qui suffragium præcipitat suum in judicando Scripturæ sublimi genere, is præterquam quòd os in cęlum ponit, hoc est, tremendam DEI sapientiam contumeliâ afficit, relabitur ad illas naturæ sordes, à quibus singulari Christi favore fuerat mūdatus. Quos hæc non permovent, hi sciant, se duplici ratione esse injustos; si in his suam non frænent linguam. DEUM spoliabunt, quamtum in ipsis est, sua sapientia, qui numquam poterit spoliari: & eam admovebunt sibi, quæ ipsis, quamdiu nempè sunt tales, ut non debetur; ita nec applicatur. Justi ergò venerando nomine qui gaudet, ut gaudeat, quicumque Christianus, numquam audeat ad hoc Scripturæ genus explicandū descendere; nisi sole clarior aliunde suppetat tamti arcani explicatio. Heic Augustinum mihi audi: cujus ore ferè hoc suasi. is scribit, quæ lectione sunt dignissima. sunt talia: [In litteris canonicis siquid velut absurdum moverit; non licet dicere: auctor hujus libri non tenuit veritatem; sed aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis.] At ut ad inquisitionem etjam horum dictorum sit assurgendum, docuit Cyrillus verbis his: [Pulcritudo divinæ veritatis sic latet, ut solis integro animo & sincero inquirentibus investigantibusq; quasi cælestem thesaurum, pateat: quem consequuti meritò audimus.]

August. cōt. Faust. l. 11. c. 5.

Cyrill. in Præfat. Thes. sui.

Verumenimverò cum res fert, ut effatum Scripturæ, quod mysticum nobis appellatum, sit explanandum, aut metuendum singulare incōmodum vel ex bonorum simplicitate, vel malorum calumniâ: attentandum id quidem est, sed duplici sub cautione; quarum una sit hæc: τὰ μυστικὰ, quæ hoc appellamus loco, ita sunt explicanda, ne contradicant vel directè, vel obliquè generibus Scripturæ cùm elementari, tum sublimi. Hæc dum dico, nihil aliud volo, quàm, enodanda esse abstrusiora Scripturę proloquia, ut habeant fundamentum Scripturæ loca, quæ lucidiora sunt, ac magis in promtu: vel saltem ne dicant, quod expressioribus Scripturæ dictis sit adversum. Æquissimū verò est hoc totum, ut æquus fatebitur quilibet: etenim præter totius Scripturæ sensum manifestum quidquid profertur disputaturve; id qui pro vero indubitatoq; adeoque pro DEI verbo habet, iniquissimus sanè cēseatur hominum. Enimvero qui regulæ insistet huic, hoc profectò habiturus est commodi. nempè aut rem tanget, quæ inter

diſputandum agitatur; in eum .n. finem data ſunt in Scripturis loca illuſtria, ut, quæ obſcura, illuſtrarentur. Teſtis nempè cum aliis permultis, qui ſuperius ſunt auditi, & Baſilius; cujus iſtud: [Familiare eſt Domino, ea quæ alicubi ſtrictim præcepta ſunt, per ea, quæ in aliis locis dicta ſunt, manifeſtè tradere ac declarare.] Aut non erit in explicando impius; tametſi præcisè non aſſequetur id, quod auctor intellectum voluit: ſequitur enim ejuſmodi gnomona, ad quem quodcunq; inflectitur, quà inflectitur, verum ſincerumq; eſt. In hanc rem Auguſtinus aliquid loquebatur ſuperiùs; quod huc tu aggreges: & cum eo iſtud cõjungas; quod habet alibi: [Id potiſſimum deligamus, quod certum apparuerit eum ſenſiſſe, quem legimus. Si autem hoc latet; id certè, quod Scriptura non impedit, & cum ſanâ fide concordat.

Baſil. de Baptiſm. l. 1. c. 1 — *Auguſt. de Gen. ad Lit. l. 1. c. 21.*

2. At altera cautio hæc eſt: Interpretatio Myſticorum ita inſtituatur; ut fidei noſtræ ſit analoga.] Regulam hanc, quæ & ſublimi Scripturæ generi poteſt adſcribi, Paullus, Theologię penu, ſubminiſtrat: quam & tot verbis in ipſo invenies, quot propoſuimus. Differt autem à ſuperiore regulâ, quemadmodum ab integro doctrinæ corpore, corporis illius accuratum compendium. quidquid enim illud habet, ac docet amplâ variaque rerum explicatione; id habet hoc in paucis, ἐν σκιαγραφήμασι quaſi propoſitis. Ubi notari poteſt illud, quod Auguſtino legitur adſcriptum; & eſt: [Quando nos inquirentes Scripturas ſentimus aliquid, quod ſcriptor fortè non ſentit; non tamen hoc ſentire debemus, quod abhorret à regulâ fidei, à regulâ veritatis.] Regula autem quę ſit, etjam ſuperius ex eodem Auguſtino auditum: quando dicebat; reſpiciendum eſſe in explicandâ Scripturâ ad iſtas duas ſolemnes leges: *Ama* DEUM; *dilige proximum.* At ſanctus Eirenæus caritatem priorem (nam poſterior à naturâ naturæ ſuggeritur) utiliter explicavit: ad quem ita expoſitum ſi referamus noſtra diſputata, minus certè ſumus ablucinaturi. ait ita: [Eccleſia per univerſum orbem uſque ad fines terræ ſeminata, & ab Apoſtolis, & à Diſcipulis eorum accepit eam fidem, quæ eſt in unum DEUM, patrem omnipotentem, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia, quæ in eo ſunt: & in unum JESUM CHRISTUM, Filium DEI, incarnatum pro noſtrâ ſalute: & in SPIRITUM ſanctum, qui per prophetas prædicavit diſpoſitiones DEI, & adventum, & eam, quæ eſt ex Virgine, generationem, & paſſionem, & reſurrectionem à mortuis, & in carne in cælos aſcenſionem dilecti JESU CHRISTI, Domini noſtri, & de cęlis in

Auguſt ſup. hic: Ego ſum, qui ſum. — *Eirenæus adv. Hæret. l. 1. c. 2.*

lis in gloriâ Patris adventum ejus ad recapitulanda universa, & resuscitandam omnem carnem humani generis: ut CHRISTO JESU Domino nostro, & DEO, & Salvatori, & Regi secundum placitum Patris invisibilis, omne genu curvetur cælestium, terrestrium, & infernorũ, & omnis lingua confiteatur ei, & judicium justum in omnibus faciat. Spiritalia quidem nequitiæ, & angelos transgressos, & Apostatas factos, & impios, & injustos, & iniquos, & blasphemos homines in æternum ignem mittat. Justis autem, & æquis, & præcepta ejus servantibus, & in dilectione ejus perseverantibus, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentiâ vitam donans incorruptibilem loco muneris conferat, & claritatem æternam circumdet.]

Hisce munitus, ô DEI homo, explicationem quâ decet reverentiâ aggredere; attamen aggredere, quando observasti quatuor canonas, quos in sublimi Scripturæ genere etjam notandos, commonui: quique erant: *precare* DEUM; *perlege Biblia*; *tene linguas*; *esto philosophus*. His enim adjumentis si non sis instructus; non jubeam te quicquam heic sperare. etenim alas quasi tibi parasti ad Scripturæ excelsa occupanda, si eadem ad enarrationem hanc attuleris. Atqui ut ita aggrediare rem, ne erres in progrediẽdo, hęc deinceps quatuor observanda. primum horum sit istud: ut sensum mysticum invenias, sanè philosophare. Præstare hæc poteris facilè; si voles: quia te hac lege 1.
huc vocavi, ut nimirũ esses philosophus. Volo autem, ut intelligatur non illa philosophia, quæ ipsi Theologiæ velit dominari. absit istud! Philosophia degenerat in Sophisticen, si intra Scripturæ pomœria cupiat τυραννίζειν: verum de eâ loquor, quæ se fidei ancillam profitetur, & Scripturæ preciosa syrmata decorè gestat. Et DEO non esse invisam quamvis ratiocinationem, verum eam tamtum, quæ falsum colligat inde liquet, quòd laudetur à Christo Scriba quidam: ὅτι νουνεχῶς ἀπεκρίθη: [quòd cum ratione respondisset.] Quî enim DEUS rationem reprobet, qui ejus est auctor: quin & fautor quoque; qui sua effata insolubilibus rationibus convinciat: Quâ in sententiâ & Cyrillus confirmat nos: nam explicatè rem tradit. & subscribit veritati, quam heic asserimus. Sic is sanè loquitur: [Humana mens, atque ratio si corporeis ad explicandum exemplis utitur, (videlicet in rebus divinis) accusanda certè non est.] Unico exemplo illustrabo rem, ut transcendam quàm citissimè ad secundum. sit autem exempli loco, quod dicitur apud Ecclesiasten: [Cor sapientis in dextrâ ejus; & cor stulti

Marc. c. 12. v. 34.

Cyrill. sup. Ioch. l. 2. c. 73

Ecclesi. c. 9. v. 20.

in ſiniſtrâ illius.] Non me latent, quæ dicunt hoc loco interpretes: quos non repudio equidem, cum doctiſſima dicant. Interim tamen ſemper mihi eſt viſum, cenſeri poſſe iſthac de ſententiâ, ut de ejuſcemodi, quam ſoleam vocare myſticam. Quocirca qui Sophiæ ſtudet; is hoc de pronuntiato ita poterit philoſophari. Si quis inter Philologos ſit, qui contendat, dextram ſumi pro felici, & ſiniſtrum pro infelici; nihil aget: reclamabitur enim à Vetuſtate: cui ſiniſtra auſpicata; inauſpicata dextra fuére: & ſiniſtra fuiſſe vocata τὰ εὐώνυμα, vel Evangeliſtæ te docuerint.

Matt. c. 26. v. 38. Marc. c. 15. v. 27.

Quid ergò? aliud videtur ſignificatum per hæc verba. Non poteſt cor tibi dextrum fieri, niſi tergum verſus convertas faciem: illius enim reſpectu quod ſiniſtrum fuerat antea, hac converſione fit dextrum. Quid itaque ſi ſapientem hoc enuntiato definire voluit? cum eo cértè res ita habet, ut non tamtum videat, quę ante pedes ſunt, ſed circumſpiciat quoq; quid circumſtet, quid antecedat, quid conſequatur: ſitque Calchas quiſpiam: ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα: aut Proteus; qui nôrit:

Hom. Ilia. 1. Virgil. Georg. 4.

Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

At qui cor ſemper ſiniſtrum habet, id eſt, numquam reſpicit, ſed tamtum in præſentia animum defixum habet; is fatuus eſt; ſi vel fata eum feciſſent ſapientem. Audiſti hæc: quæ docuerunt, ſapientem eſſe, qui contempletur præterita, ut de futuris poſſit habere conjecturam; de ſtulto hæc ſeſe habere ſecus. quæ ſententia eſt ejuſmodi: quám idem Doctor in Proverbiis ſæpius repetit. Secundum autem, quòd

2. heîc notandum exiſtimo, ſtatuatur: Complemētum rei ſi habeatur, habebitur id quoque, quod judicabatur complendum. Hoc eſt, multa non poſſunt intelligi in Scripturis divinis, niſi teneantur res eæ, quæ monſtrant reapſe, effata quædam compleri. Atq; hinc eſt, quod Auguſtinus dicit: [Myſticis figuris loquitur Scriptura divina, ſervãs rebus tempora: quibus recognitis, manifeſtâ exerceat veritate. Id autem quàm verum ſit, unico exemplo patébit; quod quia ſingillatim mihi pulcrum eſt viſum, in hunc locum ſervare equidem volui.

Auguſt. De Symb. ad Cat. l. 4. c. 3.

Eſt hoc. dicit in Exhodo DEUS ad Moſen: [Tollam manum meam: & videbis poſteriora mea; faciem autem meam videre non poteris.] Quæritur anxiè, quid ſit videre poſteriora DEI: quæritur, inquam, & meritò; cum quæſtio ſit ardua. Qui interpretantur; ferè in eam ſententiam diſcedunt, ut dicant: *Poſteriora* DEI, eſſe DEI effecta, id eſt, opera: per hæc enim DEUM cognoſci, qui alioqui víderi non poſſit.

Exhod. c. 33. v. 23.

possit. Quorum sententiâ dicatur à Deo, sese videri non posse, quoad essentiam; at deprehendi ex creaturis. Id sanè convenit cum universa Scripturâ, & nominatim cum Paullo; qui ait: [Invisibilia Dei ex rebus conditis intelligi.] At simplicius quid equidem malim: id enim verius haud dubie esset futurum. Quo modo ego expono hoc; eo nõ potuit intelligi ante exhibitum Christum: immò vix à nobis animadvertitur, qui quotidie Christi Acta perlegimus. Quis est, qui dicit: [Videbis posteriora mea?] Christus, λόγος. is enim est ille μέγας ἑρμηνεὺς, per quem Deus Pater Patriarchis est loquutus. Quis est, ad quem loquitur Christus? Moses videlicet. Jam si scire vis, quando Moses Posteriora τοῦ Λόγου viderit; dicam ego, in monte nimirum Thabor: ibi enim cum ipso loquebantur Moses, & Elias: qui visi cum gloriâ dicebant ipsius exitum, quem erat completurus in Hierusalem. Heîc certè Moses vidit posteriora ejus; quæ dissimillima erant prioribus: cum heîc jam esset indutus carne, quam ex Virgine Matre assumserat; quâ vacabat, cum diceret ad Mosen: posteriora mea videbis. Ergò Filius Dei vult dicere hac sententiâ: priora hæc mea videre non potes Deus enim sum simpliciter, quem oculi mortales non possunt intueri: at posteriora mea poteris videre, quando nimirum fiam homo: tum enim videbis Deum incarnatum; quem hominis oculus potuerit aspicere. Ecce tertium; quod est: Præstantes in Ecclesiâ viros esse consulendos, si per nos rei difficultas non potest expediri. Sunt, inquam, ii consulendi, quorum fides probata est, & nota quoque industria: ad caussæ enim disceptationem nemo facilè vocaverit eum, qui est ab Ecclesia alienus. Ubi & hoc sciendum, uti nos posse præclarorum virorum sententiis, ut iis, non quæ præcipiant, sed quæ suadeant. Quod si negligatur; nihil in nostra cognitione erit stabile: cum nullus patrum (consultè dico, quod dico) dari possit, qui, ut ab aliis; ita à seipso interdum non dissideat. Ergò audiendi quidem sunt illi; attamen sub certa lege. Legem sibi posuerunt Scripturam: quocirca commodissimè ad illam possunt examinari. Et heîc audio Augustini illud: [Quomodo verba Scripturæ intellexerunt Sancti; sic utique intelligenda sunt.] Sanè subscribendum est Sanctis: & quis ab iis dissentiat? quocirca videndum, qui Sancti; & quando Sancti sanctè loquantur. Et quis hoc improbet, qui probatus Ecclesiæ Dei? [Non enim à malè, sed à bene valentibus est accipienda sententia.] Verbi caussâ: si quæratur, quid sibi velit verbum *ferri* in sen-

Rom. c.1. v.20. *Luc. c.9. v. v.30.31.* 3. *August. De Verb. Evang. Serm. 19.* *Chrysost. sup. 1. Cor. c. 4.*

Gen.c.1.v.1. tentiâ: [Et Spiritus DEI ferebatur super aquas.] cum per vocem Spiritus intelligatur tertia in Trinitate Persona: quando ventus tum nondum esset: & tamen interim verbum (ferri) motum quemdam à loco in locum innuat, difficultas oritur, quæ primum sub hoc genus cadet. Consule Lyranum, & excute, quid ad hunc locum annotarit;
Lyran. sup. Gen.c.1. respondebit hoc: [Accipitur Spiritus DEI, id est, Voluntas, quæ ferebatur super illam congeriem elementorum: sicut voluntas artificis super materiam, quam formare, & ornare intendit.] Hujus sententia, *ferri super aquas*, nihil est aliud, quàm DEUM fuisse sollicitum de exornanda informi illa materie. Rabbicum hoc videtur glossema: quocirca frigidè sanè assentior. Contrà Augustinus ita exponit: [Illud
August. De Gen. ad Lit. l.1.c.18. quod per Græcam & Latinam linguam dictum est de Spiritu DEI, qui ferebatur super aquas, secundum Syræ linguæ intellectum, quæ vicina est Hebrææ (nam hoc à quodam docto Christiano Syro fertur expositum, nō superferebatur, sed ferebat potius) intelligi perhibetur. Nec sicut tumores aut vulnera in corpore aquis vel frigidis vel calore congruo temperatis; sed sicut ova foventur ab alitibus; ubi calor ille materni corporis etjam formandis pullis quodāmodo adminiculatur per quemdā in suo genere dilectionis affectum.] Hanc sententiam & Basilius approbat; quam & nos, Mosis esse, credimus. Plura nos addere vetat ratio instituti: itaq; aliis hanc provinciam relictam
4. volumus. Subdo jam quartum illud, quod censeo notandum heîc: videlicet, genus hoc, quod mysticū appellavimus, ad genus τῶν σημείων, & inde ad elementare esse traducendum. Etenim si præstitisti, quæ tribus superioribus mandata; & præstitisti accuratè (quod præcipuè efflagitatur) animadvertes tum, genus mysticum, quod sub manibus teris, fieri sublime. Nam, quæ vidisti præsentium monitorum beneficio, si ad locum, de quo quæris, acutè accommodes; liquido videbis, res esse planas, quæ signis contineantur; verum
Luc.c.10. v.18. signa, quibus res propalentur, aliquam habere difficultatem. Gratiâ exempli habeatur hoc, quod Christus dicit: [Videbam Satanam, ut fulgur, de cælo cadentem.] Utut hoc explicetur, tamen arcanum spirat. Relinque ergo aliquantisper; ne fias temerarius. Interim tamen, si urgeare, hanc poteris expromere explicationem: at quamrem impiam non dixeris, si dixeris: Christo fuisse cognitum, adeoque vidisse eum, quemadmodum de solio suo deturbatus sit satanas prædicatione Discipulorum, qui ad Euangelium annuntiandum à Christo fuerant

rant emissi. Si ita accipiatur sententia hæc; ad genus sublime reducitur: quamquam enim verba adhuc subobscura sunt; tamen res aperta est ex aliis scripturæ locis, potissimùm autem ex isto Johannis: [In hoc apparuit Filius DEI, ut dissolvat opera Diaboli.] dissolvit autem per Ecclesiæ ministros: quia ejusdem sunt Legati, ut ait magnus Apostolus. Ad hæc itaque dicta, quia simplicia sunt elementariaque, reducenda fuerint Christi verba, de quibus modò agimus; postquam statuimus in numero τῶν σημείων. Atque ut ipsis cum genere Scripturæ elementari conveniat, agendum est cum iis, ut his, quæ sua natura habent σημειότητά τινα: facta enim & jam sunt talia, cum alia essent ante. Iccircò emolliendus est sensus signorum: ut sub finem antecedentis capitis docebamur, atque dicendum: *fulgur, cælum, cadere,* esse metaphorica: *fulgur*, significare subitum impetum, qualis in fulgure est: *cælum*, principatum, qualem habet cælum præ reliquis corporibus: *cadere*, deturbari: uti volvuntur deorsum qui cadunt. Et ita qui consideraverint τὰ μυστικὰ, illi nihil effutient, quod offendet pietatem; & suo quoq; per hanc modestiam consulent honori. 1.Ioch.c.3. v.8. 2.Cor.c.6. v.20.

Obsigno ita τὴν τῶν μυστικῶν ἐργασίαν: quæ rectè usurpata, eximium fructum Ecclesiæ Christi, poterit referri. Quamquam enim excelsior eorum est veritas, quàm ut ad eam mens queat pervenire hominis; tamen si exerceatur modestè, occasione ejus trita sunt futura fidelibus Christi, quæ subinde resonabunt, effata τὰ ψυχώδη: & infidelibus non relinquetur occasio, ut scripturæ dicta, ut incognita, ac vilia ob hoc, impiè calumnientur. Mihi reservo in grandibus mysteriis, & aliis etjam suadeo, quod canit Cordubensis Cycnus de refluxu maris: Luc. in Pharsal.

Quærite, quos agitat mundi labor. At mihi semper
Tu, quæcunq; moves tam crebros, caussa, meatus,
Ut superi voluêre, late. ——

CAP. IX.

Hʽ ἐργασία *illius generis: quod dictum* τὸ ὀνομαστικόν.

CONTENDIMUS ad finem ſcriptionis hujus: agimus hoc capite de tractatione generis onomaſtici, quod ultimum eſt inter quatuor ſcripturæ genera, quæ in ſuperioribus ſubduxeramus. Brevis autem præſenti in negocio ſi ſim, nihil mirabere; quod ſcriptura ipſa multa haud eſt in iſto propalando: ut enim pauciſſima habet, quæ huic generi propriè poſſint adaptari; ita adhuc pauciora habet, quæ expoſitioni ejus conſulant. Cauſſa hæc: non multum operæ ponit in his, quæ non conducunt ſaluti: unde facilis fides Patri; qui dicit: [Scripturam non eſſe multiloquam in his, quæ ad ſalutem non ſint neceſſaria.] Quin & mirari brevitatem capitis hujus deſines, ſi me, qui iſtud exaro, reſpicere velis: audies enim à me, ſi interrogabis, prolixum me eſſe non poſſe in his, quorum curta apud me eſt ſcientia. Ecce enim liberè profiteor, me minus in hoc, quam in ſuperiore poſſe: quocirca nec tibi jubeo, ut rari atque novi quid à me exſpectes. Quæ itaque dicturus ſum, ea ex aliorum ſententia dicta putato: quæ ſententia plerumque talis, ut conjectura nitatur. At de quo ſummi certi non ſunt; quî me infimum certum velis? neque, quod neſciam, ſuccenſeo: [Communis ignorantia eſt ſolatio.] inquit Cardanus: quo utor & ego heîc; & me quoq; conſolor eodem.

Chryſoſt.

Cardan.

Sed tamen cum minimo cum periculo heîc erretur, ſi erretur; quid prohibet, quo minùs & de hujus generis explicatione aliquatenus philoſophemur. Et licet nihil in hac diſceptatione mihi arrogem, quod nec jure mihi aliquid arrogare queam; tamen ſi ſum dicturus, quæ æquus Lector (Piſtorium enim hinc amando) æqua utiliaque judicabit; non erit, qui mihi hoc vertat fraudi. Quid enim? multi ſunt hactenus inventi, qui, cum res haud poſſent invenire ipſi, monendo præbuere occaſionem, ut aliquo modo ad rem perveniretur. Quocirca ſummum mihi contigiſſe dicam; ſi contingat,

Horat. in art. Poet.

——ut fungar vice cotis acutum,
Reddere quæ ferrum ſolet exſors ipſa ſecandi.

ut ait noſter Flaccus.

1. Ergo ut cum utilitate etjam in hac provincia verſari poſſimus, hoc primùm eſt obſeruandum: Sagacius in originem vocis obſcuræ

inqui-

inquirendum est, ut res ejus aliquo modo nobis patescat. Manendum tamen in ea est linguâ, quâ aliàs sua perscripsistis, quem nostris terimus manibus. Id sanè cum in omni interpretatione plurimum habeat momenti; etjam huic difficultati, si quidquam aliud, certè mederi potest. Id unico paradeigmate faciam planum: quod quidem id esto. de Caino affirmat Moses, [quòd habitârit (postquam interfecisset fratrem Abelem) in terra Nod.] τὸ *Nod* quid, sit ferè ambigitur: Gen. c. 4. v. 16.
ambiguitatem hanc diversitas expositionum insuper auget. Septuaginta duo illi interpretes simpliciter ajunt: [Cainum habitâsse ἐν γῇ Ναὶδ:] qua loquutione certè innuere videntur locum quemdam, in quem se contulerit Cainus, postquam Dei irati vocem audivisset. Septuag.
Rabbi Schelomoh huic videtur sententiæ accedere. ait enim: *Terra Nod:*) ad quam dimigrabant profugi: quo & suus Pater demigravit, R. Schel.
cum è Paradeiso Heden fuit ejectus. Credo rem planiorem fieri posse, si e,us vocis perpendatur origo: nam huic magis poterimus fidere, quàm superiori conjecturæ, quamtumvis non ineptæ. Vox *Nod*, Exp. C.
Hebraicè נד, significare etiam potest demigrationem: est enim hoc modo à verbo נוד: quod denotat migrare, vagari. Unde vero simillimum est, Mosen dixisse: [quòd Cainus habitârit in terra migrationis.] cujus sententiæ fuerit vis: Cainum exsulis vitam degisse; coactum fuisse conscientiæ morsu ob fratricidium à loco in locum subinde migrare. Vel *Nod*, motionem quoque significare potest: נד enim
sæpenumero est *movit:* quod schola Jehudaica ita applicat ad rem: R. Schol.
[In terrâ Nod, (inquiunt) id est, motionis: quia quocunque ibat Cainus, terra subter illum mouebatur; dicebantque creaturæ: Recedite, hic est, qui fratrem suum occidit.] Quo quidem si dicere voluit Synagoga, Cainum sibi adversas habuisse omnes creaturas; non sanè erit, qui ipsi repugnabit. Quem enim favorem tibi pollicceare à Creaturis, si ipsum Creatorem tibi sensisti infensum? At secundum, quod 2.
equidem existimo notandum, esto hoc: Dispiciendum est, si quidem potest fieri, de naturâ rei, cujus nomen tam est incertum. At quomodo dispici potest de re, cujus nomen adhuc ignotum? Cum sæpius suprà dictum sit, ex signis cognoscenda esse signata. Difficile id sanè est, quod fateor, quòd expressi scripturę loci non subministrent, quibus h c loco indigemus. Interim tamen negari nequit: τὰς συνάφειας interdum suppeditare, quod ingerat probabile quid de vocis ignotæ significatu. Exemplis plurimis hoc posset fieri manifestum, nisi bre-

vitatem institutum nobis imperaret nostrum. Unum quinctumdecimum Esaię caput multa suggerit: è quibus duo tātùm libet delibare, quæ in his prophetæ animadvertuntur verbis. [Per ascensum Luith ascendet, & in viâ Oronaim clamorem contritionis levabunt.] Quid *Luith?* quid *Oronaim?* hæc enim sunt generis onomastici; cum reliqua referantur ad genus Scripturæ elementare. Hieronymum consule: is enim horum maximè est gnarus. At is hæc scribit: quæ rem certè non explicant penitus. [Per ascensum, &c. intelligimus (inquit) clivum itineris, quod ducit ad Assyrios. Longum est, si velim de singulis dicere: cum perspicuum sit vel urbium in Moab, vel locorum esse nomina, quæ deserunt transmigrantes.] Lyranus autem ferè idem dicit. verba ejus exscribo: [Luith, nomen est montis, ad quem fugit pars populi Moab. Oronaim, nomen est loci, per quem incedebant fugientes & clamantes.] Ita historice. Inquiratur in rem ipsam. Vaticinatur toto hoc capite Jehovæ propheta de calamitate & interitu gentis Moabiticæ: iccircò & introducit præcipuas Moabitarum urbes hejulantes, suaque fata miserabili planctu testificantes. Ergò non errare videbitur, qui heic dabit locum τῇ ὀνοματοποιΐᾳ: ac dicet, verba hæc (Luith, Oronaim) esse imitamenta etjam sono illius luctus, quem Moabitæ inter fugiendum ostenderint. Habui Præceptorem, qui idem putavit mecum: verba e us sunt hæc: [Quid si Propheta per Luith, & Horonaim voces clamantium exprimere voluit? nam Lu, & Ho syllabæ, sonum ululantium, & clamantium imitantur.] Audi tertium; quod est: Excurratur ad alias linguas; si per eas, quæ scripturæ sunt propriæ, lux voci non potest dari. Principes quidem linguæ sunt Hebræa, & Græca: quibus etjam propterea tabulæ sacræ commissæ sunt. Nihilominus tamen quædam in scripturâ se offerunt voces, quæ nec Hebraicæ, nec Græcæ, nec Chaldaicæ, quæ Hebraicis nimirum sunt valde propinquæ; sed peregrinæ sunt prorsus, ut Syricæ & Latinæ, ac aliæ. Quod quidem spiritus DEI fecisse creditur, ut magis saperent nobis hæc scripta, quæ peregrinis verbis voluit quasi condire alibi: deinde ut interdum loqueretur cum vulgo, cui hæ voces, tametsi exotericæ, erant tritæ. Vocem verò peregrinæ linguæ habet hoc nostri Apostoli: [Si qui non amat JESUM Christum; sit anathema, maranatha.] Anathema græcum est: & notum. De Maranatha autem maxima inter doctissimos controversia. In hoc ferè conveniunt, esse extremam excommunicationem: quam Talmudistæ

Esa.c.15. v.5.

Hieron. sup. Esa.c.15.

Lyranus sup. Esa.c.15.

T. S.

3.

1. Corinth. c. 16. v. 22.

mudistæ solent appellare אנ־ש: at qualis fuerit illa, ferè ignoratur. Ergò præstantissimi inter Doctores contendunt, esse unicam vocem eamque Syricam; quæ sonet, quod apud Hebræos רו חרם: quâ voce generalis quædam designatur devotio. Alii his sunt adversi: concedunt quidem, esse eam Syrici idiomatis, verùm compositam ex tribus dictionibus: primam esse רו מָר: quâ significetur *Dominus*: secundam ן finale: quod idem, ac *noster*: tertiam autem אתא, quod denotet, *venit*. Hanc volunt esse formulam, quâ extrema illa excommunicatio sit peracta, & sententiam isthanc, *Dominus noster venit*, esse expressam his verbis Judæ, ἦλθε κύριος [Venit Dominus.] ac eâ esse asseveratum hoc: Desperat Ecclesia de hujus hominis salute, iccircò eum judicio Domini Christi jamjam venturi committit. Conjectura hæc sumta est ex linguâ Syriacâ, quæ tametsi est & pia, & erudita, immota tamen vix nobis potest statui. *Iuda Ep. v. 14.*

Quartum denique sit hoc: Adeundi præstantissimi sunt Grammatici; quibus credendum, cum melius non possit haberi. 4. Quis autem dubitet de hoc? artifici suâ in arte credendum est: quocirca aut illis est habenda fides; aut nulli rei habenda fuerit fides. Dico autem, præstantissimos probatissimosque esse consulendos. nam auscultare cuivis nuganti, est cuivis insaniendi occasionem præbere. Monitum hoc habet & hic Augustini locus, quem audi. [Karissimè, & difficillimè inveniri potest ambiguitas in propriis verbis, quamtum ad libros divinarum scripturarum spectat, quam non circumstantia ipsa sermonis, quâ cognoscitur scriptorum intentio, aut interpretum collatio aut præcedentis linguæ solvat inspectio.] *August. De doct. Christ. l. 3.* Unico exemplo rem illustrabimus, & mox cessabimus. Genesis dicit: Rachelé furatam esse Patri תְּרָפִים: quæ vox vertitur vulgò per vocem *Du*. Quid sint illi Theraphim, magna contentione quærunt Jehudæi. Plerique à רָפָה deducunt: quod est *cessavit*: *Gen. c. 31. v. 19.* quòd ad inspectionem horum Theraphim homines vel faciebant, vel omittebant opus. At quid tandem erant? de his ita Aben-Ezra: *R. Aben-Ezra.* [Erant imagines factæ ad similitudinem corporis humani, & erectæ certis horis, & sub certâ constellatione vocem edebant, eò quòd capaces essent cælestium influentiarum.] At Lyranus de his præterea hæc: *Lyran. sup. Gen. c. 31.* [Hebræi dicunt, quòd (Tharaph, unde in plurali Theraphim) est caput alicujus pueri primogeniti, interfecti, & sacrificati Dæmoni: & istud caput præcisum sallatur, & aromatibus conditur, ut possit diu stare; & super linguam ejus in laminâ aureâ ponitur nomen Dæ-

monis: & sic dat responsa.] Alii horologia esse putant: alii aliud: qui doctissimi sunt, hi tuentur sententiam, quam ex Aben-Ezra & Lyrano recensui. nos cum certius nihil habeamus, illorum testatum tutò possumus sequi. Et de quarto hactenus.

Egimus ita de quatuor modis ἱερῶν ἑρμηνειῶν: quæ respondent quatuor Effatorum sacrosanctorum generibus, ante quatuor has tractationes singillatim expositis. Vidisti, Pistori, nihil à me esse dictum, quod scripturæ pronuntiatis, aut ratione ex iisdem deducta non probârim. Tu si vel negare ausis, ut nihil non audes; evocabo contra te liquidissimam Veritatem, quæ ex totius mundi ore loquatur. Ἡ ἑρμηνεία tertii quartique generis non ad te attinet: quòd apud pessimum vel sit extra controversiam: quæ tamen explicanda fuerat, ut suis membris hæc scriptio, ut suis annulis catena, undique cohæreret. At verò τὴν ἑρμηνείαν primi generis, & secundi, tibi commendatam volo quàm maximè. Eas enim, ut & ipsa genera τὸ σαφηνὲς, καὶ σημεῖον, si æstimaveris acurè; non dubito, quin solem meridianum sis visurus, id est, Cimmeria Papatus seriò exsecraturus, & sacrum veritatis illustrissimæ jubar denuò aspecturus. Verùm quid dico hæc, quæ sperare non possum? in vanitate ponis spem tuam; quòd veritatis suffragio haud possis vincere. Ait sublimis Christi Cancellarius: [Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut oret quis.] Grave verbum. O grave! Ah vereor, te commisisse id genus peccati. Certè condoleo. Quòd si scirem preces meas aliquod habituras pondus; tuo nomine (quæso, crede) iratum tibi, DEUM precarer, ac obtestarer sanctum Spiritum, qui te illuminavit aliquando:

1. Ioh. c. 5. v. 16.

Veni Creator Spiritus:
Mentes tuorum visita:
Imple supernâ gratia,
Quæ tu creasti pectora.

Eccles. cant. pro illuminatione.

CAP. X.

De septem regulis Ticonii, ex Augustino.

QUID jam sumus acturi? absolvimus enim nostrum pensum. Nempè decebit, ut quemadmodum caput huic lucubrationi præfixum, quod viam eidem sterneret: ita caput adjungeretur aliquod, quod utile quid factæ tractationi aspergeret. Ergò, ut eximia rei imponatur coronis, animus est recitare regulas Ticonii: quas

quantum in explicanda Scriptura habeant momenti, judicet Lector; non Pistorius, cui regula unica est cor illud palatii sanctangelici. Fuit is Ticonius Donatista quidem, qui & contra Donatistas invectissimè scripsit, ut testis est Augustinus: scripsit tamen in his regulis, quæ ejusdem Augustini probatę judicio sunt. Hunc autem regularum librum ita fuerat exorsus: [Necessarium duxi ante omnia, quæ mihi videntur, libellum regularum scribere, & secretorum legis veluti claves, & luminaria fabricari. Sunt enim regulæ mysticæ, quæ universæ legis recessus obtinent, & veritatis thesauros aliquibus invisibiles faciunt. Quarum si ratio regularum sine invidiâ, ut communicamus, accepta fuerit; clausa quæque patefient, & obscura dilucidabuntur: ut quisque propheteiæ immensam sylvam perambulans, his regulis quodammodo quasi lucis tramitibus deductus, ab errore defendatur.] Ferè nimium. Ideoque & Augustinus respondet: [Heîc si dixisset: sunt enim quædam regulæ mysticæ, quæ nonnullos legis recessus obtinent, aut certè, quæ legis magnos recessus obtinent; non autem, quod ait: universæ legis recessus: neque dixisset: clausa quæque patefient, sed clausa multa patefient: verum dixisset; nec tam elaborato atque utili operi suo, plus quam res ipsa postulat, dando, in spem falsam Lectorem ejus cognitoremque misisset.] Quæ quidem apponere volui, ut fieret legenti liquidum, quò respexerit Ticonius in edendis his regulis: & quod Augustini esset de iisdem judicium. De Lyra notus Doctor eas explicat: sed ad Isodorum auctorem refert, cum Ticonii sint illæ, Augustini opera ac diligentia nobis conservatæ. Prima autem regula est hæc: [Capitis & Corporis, id est, Christi, & Ecclesiæ una persona nobis intimatur.] Lyranus ita: [Propter connexionem capitis ad corpus, sacra scriptura sub uno contextu, quasi sub vnâ personâ, interdum loquitur de utroque, de uno ad aliud transiens.] Ego dicerem, illustrem esse mentem hujus regulæ, si dicatur: dici interdum de Christo quod convenit Ecclesiæ; interdum autem de Ecclesiâ, quod propriè competit CHRISTO. Secunda est: [de Domini corpore vero ac permixto interdum idem sermo.] Et Lyranus: [Est Ecclesia, quasi sagena, nondum tracta ad littus: & ideò habet malos permixtos cum bonis usque ad judicium.] Nobis ita proponi posset: quod proprium est Ecclesiæ veræ, interdum verbo tribuitur falsæ; & quod falsæ est, interdum veræ adscriptum legimus. Tertia est de spiritu & litterâ. Non video apud

August. De doct. Christ. l. 3. c. 31.

Ticon.

August.

Lyran. Prol. secund. sup. Bib.

1.

2.

3.

Augustinum: quæ genuina hujus canonis sit mens. Lyranus exponit
de expositione litterali,& allegorica.ait enim: [Secundum quid ac-
cipitur sub eadem littera sensus historicus & mysticus: quia veritas
historiæ est tenenda; & tamen ad spiritualem intellectum referen-
da.] Malim sumere, si liceat, de Lege,& Euangelio, quæ interdum
verbis commutantur inter se in scriptura, cum tamen distinctissimæ
4. sint naturâ,& distinctè quoq; proponendæ. Quarta autem: de Toto
& de Parte. Hinc Lyranus: [de parte, ac toto: cum de uno transitur ad
aliud;& è converso.] Facillimè ita: quando sumitur membrũ pro in-
5. tegro:& integrũ pro mẽbro. Et quincta: de Tempore. Duo autẽ ha-
bet membra apud Augustinũ, unum quidẽ [Cum pars tẽporis sumi-
tur pro tempore cõpleto.]& alterum,[quando speciales numeri pro
universo numero ponuntur.] Apud Lyranũ habet membra quatuor:
primum est; [cum pars temporis ponitur pro toto:] secundum: [cũ
minutiæ temporis interdum ponuntur, interdum omittuntur:] ter-
tium: [quando computatio annorum incipit in uno loco à priori lo-
co, in alio, in posteriori.] quartum: [quando Scriptura loquitur de
futuro per modum præteriti.] Hæc Lyranus haud invenustè: at ut ex-
ponit Augustinus, ferè ad priorẽ regulam hæc præsens posset referri.
At sexta: [Quædam dicuntur, quasi sequantur in ordine temporis,
6. vel rerum continuatione narrentur, cum ad priora, quæ prætermis-
sa fuerant, latenter narratio revocetur.] Lyranus secat in duo: in re-
capitulationem,& anticipationem; quas ita describit:[Quando præ-
ponuntur posteriora, dicitur Anticipatio; quando autem fit è con-
verso, dicitur Recapitulatio.] Rhetores hoc quoque docent, quan-
do ajunt: quædam in Scripturâ dici ὕστερον πρότερον,& quædam πρότερον
7. ὕστερον. Septima denique regula est de diabolo, & ejus corpore: [a-
liquando enim in diabolum dicitur, quod non in ipso, sed potius in e-
jus corpore potest agnosci,&c.] De ea Lyranus hæc: [propter con-
nexionem Capitis (diaboli) ad malos (malorum Ecclesiam, Scriptu-
ra loquens de uno, in eodem contextu transit ad loquendum de alte-
ro.] Atqui luculentam habere potest mentem hæc regula, si dicatur:
dici interdum de satanâ, quod & ejus complicibus possit adaptari; &
adscribi interdum impiis, quæ propriè in diabolum cadant: itaq; ulti-
ma hæc opponitur illi, quam primam Ticonius voluit. Non sunt
nihil hæ regulæ: & multa in Scripturâ possunt expedire. fatebuntur
hoc, qui intellexerunt; ego certè haud diffiteor. Sed tamen si rem æ-

Rimabimus acutius; certè videbimus, illas singulas posse referri ad partitionem τῶν τρόπων, quam capite septimo retulimus. habet ea has regulas, & plures, quæ & ostendi possent; nisi & res ipsa, & tempus huic negocio imperaret finem.

Finem ergò quia Dei gratiâ tandem attigi; Deo clementissimo, qui isthæc monstravit, grates habeo tantas, quantas meus potest concipere animus: qui & candorem obtestor Lectoris, ut hoc, quidquid id tandem sit, sibi habeat commendatum: atq; ita concludo vigilias has, ut libros suos de sacrosanctâ Trinitate obsignavit Augustinus: dicoque divinissimo ejus ore: *Domine*, Deus *unus*, Deus *Trinitas: quacunq, dixi in his de tuo, agnoscant & tui; siqua de meo, & tu agnosce, & tui: Amen!* *August. De Trinit. l. 15. c. 28.*

ἘΠΊΛΟΓΟΣ.

HÆC volui, eximie Pistori, adversus primam tuarum theseωn excipere: quibus si advertisti animum, animo tuo salutaria plurima potuisti cognoscere. Neque, ô mire, mirêre, quòd primi enuntiati examine de Scripturâ agere voluerim: dedisti mihi (quod confitebitur æquissimus quisque) largam occasionem. Habuisti in ore assiduè, tua dogmata ex solâ Scripturâ te posse tueri. Scriptura hæc ubi est: ubi audita? nefandus tuarum theseωn cento ne nominat quidem Scripturam: & nega, si potes; tantum abest, unicum Scripturæ effatum esse allegatum, quo tua sententia sit roborata. Prorsus magnus es disputator: disputator Scholæ theologicæ novus! vis disputare de veræ Ecclesiæ naturâ; Scripturam adducere haud vis. Imitatus videlicet es Augustinum, qui consimiliter, ablegatâ Scripturâ, Ecclesiam in rumoribus Aphrorum, & in Episcoporum conciliis quærebat. Non in iis quærebat; sed è Scripturæ divinæ thesauris eruebat: istud quod fecerit; ipsummet Augustini os te suprà edocuit. At, inquies, produxissem utique, si colloquutio fuisset continuata. Non dubito: ecce quantum largiar tibi. Adducebat immanis ille Servatoris in deserto antagonista etjam Scripturam: quid si eadem ratione agere tibi placuisset? Exposuisses quoque; quò manifestior fuisset facta tua in probando liberalitas. at quomodo? quomodo servire potuerat Pistorio. Sanè ita fuisses usus Scripturâ; at præter verum usum: quod multò fuisset pejus, ac si numquam fuisses usus. His animadversis,

censui equidem, utilius me differerè haud posse adversus te, quàm si agerem de Scripturâ: etenim si constiterit de ejus ingenio, ut jam magna ex parte constare confido; facillimum fuerit deinceps in tua dogmata ferre sententiam. Quod tamen totum fuisset supervacuum; si candidus mihi obtigisset adversarius: & quidni? apud hominem sincerè Christianum hæc omnia sunt in confesso: *Scripturam esse perfectam: esse eamdem planam: quâ plana; docere ad salutem necessaria: qua altâ; ab eadem Scripturâ exponi.* Tu negas. utinam non contra conscientiam! quòd scias his stantibus, te labi. De nullo fuisse dubitatum, testis est universa antiquitas: & esse antiquitatem testem, numerosa ejus confessione suprà fiebat planum. Dices tu quidem in hæc: quòd verba haud constent precio; & quomodo dicturus sis, aliquatenus delineasti. At nemini ab his esse metuendum, clamat res; evincitque liquidò, haurire te tua ex Bellâ quadam harmoniâ cujusdam Lojolistæ: quâ evacuatâ, & tu eris vacuus. Bella hæc arma sunt inutilia ad seria bella: fundæ Davidis, quæ nimirum Veritas est, necessum est ut cedant hi Bellatores, & universum eorum armamentarium. Heîc autem à me tibi habe: si verum, quod dicit Filius Romę, Scripturam esse dubiam imperfectamque; nihil statui poterit certum, atque absolutum. Quæ enim argumenta profanum hoc stigma Scripturæ inurere moliuntur, eadem omnem certitudinem atque perfectionem eadem operâ è natura tollunt: quod faustum sit Arcesilæ, quem dogmatis hujus illicò habebis approbatorem. Quicquid id tandem sit, ut DEO dante videbimus, heîc erigo Castellum sacrum, è quo, ceu celsâ quadam speculâ, tuas copias equidem observabo. huc age vineas pluteosq;, si vis: & subrue, quod tuum in exitiũ est exędificatũ. Vide mihi, quid dicam: caussam amiserim; amiserim cum causâ & vitam; si me isthoc de propugnaculo deiicias: cui certè, quàm cælo, ne ruat, metuo minus. Si miles; faciem feri: ego non civi non sum parsurus. Occidat sol in meridie iis, quibus meridie nox gratior est: Amen! Domine JESU: Domine JESU, Amen!

FINIS

CHRISTO GRATIA.

W

Lectori S.

Cum officina nostra in aliis valdè occupata esset; factum est, vt quæ diverso characterum genere separari ab aliis auctor volebat, cumprimis quas ex S. Scriptura & Patribus adduxit auctoritates, cum id præstari à nobis non posset, hoc signo [ ] *incluserimus. Vale Lector, & si quæ nos fugerunt in aliis occupatos, ignosce & emenda. Hæc certè: pag.10.* Quis *pro* qui. *p.17.l.16.pro* iunctis *lege* cunctis. *p.19.l.21.* præteerunt *pro* prætereunt. *p.100.l.8.lege* haberi. *ibid.l.31.* sanctos.